Magnetica - *Magnalia*.



Magnetica - *Magnalia*.



MAGNETIS REDVCTORIVM THEOLOGICVM TROPOLOGICVM,

In quo ejus

novVs verVs et sVpreMVs
VsVs InDICatVr.

Si sileãt homines, lapides tua facta loquẽtur,
Saxaq; dura virũm ferrea corda trahent.

LONDINI,
Impensis *A. M.* 1637.

This Book belongs to the Library in the Charity School Chamber in Nottingham given by Dr William Standfast

PErlegi Librum hunc, cui titulus, Magnetis Reductorium, &c. Dignumq́ judico, qui typis mandetur.

Ex ædibus Lond.
Iun. 5. 1637.

Tho: Wykes R. P.
Ep. Lond. Cap.
Domest.

CAROLO
D: G: MAGNÆ
BRITANNIÆ, FRANCIÆ,
& HIBERNIÆ Regi Se-
reniſſimo, Fidei Defen-
ſori, &c.

VIvas, O REX, in æternum; Et Lapillum, & Libellum hunc, ejus interpretem, æqui boniq; conſulas. Lapidem,

dem, si pretium spectes, gemmarum postremissimis postponendum; Sin usum fructumq; Nauticum, Horologicũ, *addo* Theologicum, *vel Adamantem pretiosissimum contra minimè carum. Si molem, vix terræ glebam excedentẽ; si polos Arcticos, Antarcticos, si Circulos Tropicos, Æquinoctialem, terræ totius globum adæquantem: Unde Terrellæ nomen, apud* Gilbertum *Magneticæ disciplinæ parentem, meritò sortitus est. Si faciem &*

speci-

ſpeciem externam, nullus ei nitor, nullus lævor ineſt, qualis in Margaritis; Splendor ei nullus, nulla tranſparentia, qualis in Gemmis; Unde Decolor Claudiano, *Ferrugineus* Berchorio *dicitur: Sin intrinſecam vim et virtutem, immane quantum lapides omnes pretioſos vincat: unde Græcis veteribus* Ἡράκλειος, *i. e.* Herculeus; *recentioribus* Θαυμαστουργός, *i. e.* Mirificus, *appellatur. Miris enim & myſticis dotibus à naturâ ditatur; ſtupendos parit effe-*

fectus; Podagram, Spasmũ, et Κεφαλαλγίαν *curat, si* Marbodeo, *ejusq; glossatori* Pictorio *fidẽ adhibeamus; Quibus addit* Idem, *eundem possessores suos disertos & Principibus gratos reddere.* (O me fœlicem, si vera diceret!) *Hoc ausim Majestati Tuæ, bonâ Tuâ cum veniâ, fide bonâ spondere; si unicus unicum possideres, Mundi totius te facilè Monarcham efficeret: Partim quâ mare transfretantibus* Neptunus *alter, & portu-*

tuum Index fideliſſimus: Partim quâ terram peragrantibus Mercurius alter eſt, & Dux itinerum certiſſimus: Præcipuè quòd ferreæ gentis, quæ gentes alias omnes ſubigit, Princeps potentiſſimus ſit. Eoq; etiam reſpectu, Tui & optimi, id eſt, Monarchici & Mitiſſimi Imperij Optimũ eſt exẽplar, & vivum Emblema. Hoc enim mihi ratum & indubitatum ſemper fuit; Hoc ſemper cũ Politicis & Theologis graviſſimis ſenſi, & pa-

palàm apud omnes profeſſus ſum; Monarchiam hæreditariam, (ſub quâ mihi vitales auras fœlicitèr haurire, bonis omnimodis frui, piè & tranquillè degere contigit;) eſſe omnium, quotquot extant aut excogitari poſſunt regiminum formæ, longe multùmq; præſtantiſsimam, utiliſsimam, laudatiſsimam: Cui me ex animo favere, ille novit, qui perſcrutatur renes meos. Quin & modum gubernandi Magnetium tutiſſimum, gratiſsimum, &

com-

commodiſsimum tam Principibus quàm ſubditis eſſe, Scriptorum omnium calculis & Imperatorum ſymbolis comprobatur. Vt enim Saccharum (atteſtante Fernelio) *eadem & omnia meliùs et ſuaviùs, minori cum flatu & viſcerum cruciatu, quàm mel efficit: Sic amor* Magneticus *quam terror* Deſpoticus; *& ſubditorum amor filialis, quàm timor ſervilis. Ecce enim ut Magnes gentem ferream limis, malleis, & igne vix domabilem,*

lem, non armorum vi, sed amoris ope sibi subigat, & mutuis inter sese amicitiæ vinculis coadunatâ in officio contineat. Viderit vicissim & mecum perpendat populus, ut Scobs ferrea confusa multitudo, sub Magnete veluti sub Rege suo in unum corpus coalescat, & cum horrore quodam subsistat; eumq; scuti in modum ambiat, stipatorum in morem circumtegat, pabulum & satellitium ei præbeat, non aliter quàm apes Regi suo aculeo carenti. Cla-

Clarum et illustre Christi in suos dominij Hieroglyphicum; Cujus olim typum in Davide *exhibuit, cui nomen ab amore indidit; de quo singulare hoc et in Principibus rarum Memoriæ proditur, Omne quod fecit Rex bonum videbatur in oculis totius populi. Faxit Rex Regum, ut Regibus, Magistratibus et Prælatis suis pari lubentiâ pareat populus universus; mutuâque inter sese æmulatione certent, alter ut alteri, debitis subditorum*

of-

officijs præstandis, præeat et præcellat. Faxit Idem, ut Imperium Tuum hostibus & adversantibus sit Adamantinum, *subjectis et amicis* Magneticum: *Eiq; faveas, qui si lapidem quem vulgus* Philosophicũ *nominat, arte vel sorte reperisset, eadem animi propensitate et alacritate tibi obtulisset, quâ* Magnetem *hunc, cum suo* Cõmentariolo, *jure meritoq; tibi debitum, demississimè et lubentissimè Dat Dedicatq; Lapidũ enim Carissimũ, cui nisi*

CA-

CAROLO? Magnetem, *niſi Magno?* Marinum Neptunum, *niſi marium inſulas multas circumfluorũ Domino? Ferri Principẽ robuſtiſſimum et manſuetißimũ, niſi Regi potentiſſimo et clementiſſimo conſecraret? Is, qui centum tibi in hoc ſeculo Natales, unicum in altero animitùs expetit exoptatq.*

Chriſti Miniſtrorum, ἱλαρχεσώτατος,
Subditorũ tuorum φιλοβασιλικώτατος,
Cultorum tuorum, φιλοκαρολώτατος.

S. WARD.

S. WARD.

Errores præli properantis Corrige Lector, Authore dones σφάλματα *quæ sua sunt.*

IN *Præfat. ad Lectorem. pag.* 3. inſerit, *lege* inſerunt. *pag.* 3. Mephitanum, *l.* Melphitanum. *pa. ib. in margin. dele* Plinius. *p.* 14. ingredine, *l.* nigredine. *p.* 20. errorem, *l.* errorum. *p.* 33. Chriſti, *l.* Chriſti. *p.* 39. gentente, *l.* gente. *p.* 41. Trahentes, *l.* Trahentis. *p.* 59. lanquidè, *l.* languide. *p.* 77. Capta, *l.* Capti. *p.* 79. Contemparamentum, *l.* contemperamentum. *p.* 85. binas, *l.* binos. *p.* 87. Origine, *l.* Origene. *pa.* 103. E quis, *l.* Ecquis. *pa.* 105. occulos, *l.* oculos. *p.* 110. elevarat, *l.* elevaret. *p.* 115. haurit, *l.* hauriat. 156. Conflictæ, *l.* Confictæ.

PROLVSIO AD LECTOREM,

Et in eâ ſequentium ſcopus & Argumentum.

SEptem in terræ viſceribus metalla totidem in cœli orbibus planetis annumerant & aſſignant Chymici. Quorum nobilioribus præteritis, reliquaq; in univerſum materia neglecta, unicum ad ſe ferrum Magnes attrahit, cujus amicitiâ, & famulatu gaudet. Eadem eſt librorum ratio, quorum etſi paſſim innumeri ſcateant, habet tamen unuſquiſq; ſuũ Magneticum geniũ Lectoris ingenio accommodum, quo plurium ad ſe oculos animoſq; allicit,

Crollius pag. 77. Planetis. Plumbum Saturno. ♄ Stannum Iovi. ♃ Ferrum Marti. ♂ Aurum Soli ☉ Æs Veneri. ♀ Arg. vivum Mercurio ☿ Argent Lunæ. ☽ Clemen. Alex. pag. 176. edit. Grotij.

cit, allectosq; fascinat. Nec enim minori vi suum quemq; studium trahit, quam ferrum lapis Herculeus. Si Philosophus es, trahent hîc te Magnetica Magnalia, quibus nihil in toto Naturæ theatro reperitur aut jucundius, aut nobilius: si Christianus trahet te Christus ejusq; gratiæ, Magneti adversum Dei quasi digito insculptæ: si Theologus es, trahent te plurima scripturæ loca δυσνόητα breviter illustrata, necnon scholastici quidam nodi obiter soluti. Si Poeta es, totus hic liber poema quoddã est: si Rhetor, habes hic Allegoriam continuatam, & in ea Philosophiam Theologiæ ancillantem, facemq; ei præbentem, nunc ut pedissequam decet humilem, nunc ut ante ambulonem modestum.

destum. Quam re Dionem sequutus sum non historicum sed oratorem illum Trajano charißimum & Chrysostomum cognominatũ. Necnon agricolarum artem imitatus, qui plantis agrestibus surculos inserit generosos, ut ex sterilibus & acerbis frugiferas, et suaves efficiant. Habes etiam hic Chriam figurarum omnium ad docendum, movendum, delectandum efficacißimam; cui nomem ab usu, fructúque inditum est. Est autem Chria (describente Vossio, Leopardo, aliisq;) non pictum, aut fictum, sed vivum quoddam emblema, ubi vel persona cum re exhibetur, vel agitur & ponitur aliquid ob oculos corporis, quod mentis aciem eoyùs penetret, affectus fortiùs moveat, et

memoriæ fideliùs inhæreat. Quo artificij genere sæpiùs usi sunt tam novi, quam veteris instrumenti prophetæ, quo vaticinia sua auditorum suorum animis altiùs imprimerent. Nec enim satis habuit Agabus Pauli vincula prædicere, nisi & Pauli cingulo se vinciret; neque Dominus noster humilitatis doctor, & exemplar esse, nisi & infantulum in medio Apostolorum, ut in loco editissimo collocaret, quo eum maximum fore indigitaret, qui minimus inter eos esse ambiret. Quin & ipsemet novissimè servi in modum amictus, pedes eorum aqua mundavit, & linteolo detersit, quo virtutem hanc omnibus maximè necessariam, minimé que gratam commendatissimam relinqueret.

queret. Aures etenim etsi Minervæ sensus rectè Mythologis nuncupentur; segniùs tamen animum irritant, quæ per earum anfractuosas ambages, quàm, quæ rectà per oculorum fenestras ad eum incurrunt. Quare paucis in limine exorandus es, ut validum tibi lapidem compares, vel aliquem adeas, qui robustum possideat, quo simul attentus spectator, & Lector benevolus esse possis. Uterque enim nisi fueris, frustrabimur uterque, tu tuo legendi fructu, & voluptate, ego meo scribendi scopo, & labore. Sunt enim hic experimenta varia, quorum nisi testis oculatus fueris, non ea modò gratiam omnem, sed & fidem tuam, & finem suum amissu-

ra

ra sunt. Sin inter Criticos nomen tuum profiteris, eósque, qui circa styli negotium curiosuli sunt; unicum illud Plinianum perpendas, velim, Adamantem cælare nefas est. Par enim & Magnetis ratio est non tam ob duriciem, quæ stylos chalybeos vix, aut ne vix admittit, quam ob innatam virtutem, quæ adscititium omne ornamentum respuit, ac dedignatur. Quisquis demum es, quem vel subjecti novitas, vel utilitas huc allexerit, si vel oblectamenti, vel emolumenti tantillum inde ceperis, erit hoc ei operæ pretium, qui neque sibimet ipsi, nec chartulis suis meliorem unquam sortem ausus est expectare, quàm, quæ Magneti contigit, magno ut usui esset, exi-

guo

guo in pretio, & honore habeatur: Nec alio nomine, quàm tibi aliquantulum ut placeret, multùm ut prodesset, Theologica philosophicis, divinis Moralia, dulcibus utilia miscere pro suo modulo horis intercisivis conatus est.

Tuus in eo, qui
totus et summus
Magnes est.

S. W.

Tuus in eo, qui

tolus et summus

Magnes est.

S. N.

VOTVM MAGNETICVM

אחת שאלתי

Psal. 27.4.

MVlta petunt à TE *multi, queis multa dediſſe*
Multum læſiſſe eſt: ſunt mihi pauca ſatis.
Pauca petunt à TE *pauci, mihi ſufficit* VNUM:
VNVM *ſi dederis, non ego plura petam.*
Hoc opus eſt VNVM, *ſatis* VNVM, *plùs ſatis* VNVM:
VNVM *ſi dederis* TV *mihi, dives ero.*
Hoc VNVM *petij, repetam bis, terq́, quaterq́:*
VNVM *ſi dederis* TV *mihi, gratus ero.*
Vt trahar, vtq́ traham ad Chriſtum quos morte redemit;
VNVM *hoc ſi dederis* TV *mihi mille dabis.*
Mille TIBI *grates perſolvam, votaq́ reddam*
Mille, Tibi, laudes ſecula mille canam. Amen.
Ora pro nobis.

יהוה

Luc. 10. 42.

MACHINE-GENERATED

MAGNETIS REDVCTORIVM, *Theologicum, Tropologicum, &c.*

CAP. I.

De Magnetis usu prioribus sæculis abdito, novissimis hisce retecto.

MAgnetem ob oculos & in manibus habuere, multis retro abhinc sæculis tam docti, quàm indocti ab ipsis, quid ni? mundi incunabulis. Vim ejus ferri attractricem, & cleva-

elevatricem etiam vulgus, & fæx hominum, non ſine ſtupore animadvertit. De formâ ejus ſubtiliter diſputarunt Philoſophi, et, animam necne haberet, acriter dimicârunt.

Ariſt. lib. 1 de animâ. Thales. Scaliger. Gilbertus. Plinius. Claudianus Orpheus Lucretius.

Myſticam & miram ejus naturam, abditáſque, & occultas qualitates ebuccinârunt tam Hiſtorici, quam Poetæ falſa veris miſcentes, fabuláſque, & figmenta ſua varia, & vana attexentes: ita ut de vno, eodémq; lapide duos per errorem confecerint; alterum ab Auſtrali termino Theamedem, alterum a Boreali Magnetem appellârunt. Quem hæc, obſecro, in finem? aut cui bono? cùm interim polarem ejus verticitatem, vſúmq;

L. Vives in Aug. de civit. Dei.

nau-

nauticũ, & horologicum prorsus ignorârint; ne per nebulam quidẽ de ijs somniantes. Voluit nimirũ naturæ Dominus præclarum hoc inventum tot acuta Philosophorum, & divina Theologorum ingenia in naturæ majestate penitus abditum latere; idq; per quinque plus annorum mille: donec anno tandem post Christum mundo exhibitum CIↃCCC, eúmve circiter, humani generis misertus Deus Opt. Max. per Goiam quendam Mephitanum, * utibilissimo pyxidis nauticæ beneficio mortales beaverit; cujus ope, & munere terras remotissimas, & priùs ignotas hodie lustramus opes ingentes, mer-

Plinius.

* *Plautus.*

céſq; omnigenas acquirimus. Quare, quod de Phyſicis Ariſtotelis tritū, id nos Magneti meliori jure adaptamus; Mundo eum olim δεδόμενον, καὶ μὴ ἀποδιδόμενον. Quē in modum mundo Magnetem, ad eundem omnino Magnatibus, & mundanis ipſum mundū, & mundana omnia largitus eſt mundi Dominus, cujus terra eſt, & plenitudo ejus. Cœlum quidem ſibi, & ſuis electis, tam Angelis, quàm hominibus ſervavit, terram autem dedit filijs hominum. De poſſeſſionibus, & titulis vitilitigant tam in foro jurifperiti; quàm de jure, & dominio in ſcholis Theologi: An ullum habeant ab Adæ lapſu irregeniti?

Pſal. 24. 1.

Ius

Ius etiam illud in gratia, an natura fundetur? In foro divino valeat, an solum in humano? Terminentur (per me licet) hæ lites; habeant & teneant (si Deo placet) impij sua latifundia; reculas suas sibi habeant mundani: dummodo hoc extra omnem quæstionis aleam ponatur; vsum, fructúmque salutarem ad eos solũ spectare, qui boni sunt in oculis Domini; qui eum per peccatum amissum & foris-factum, in Christo recuperârunt. Quod sensisse auguror Apostolum in illa magnæ nostræ chartulæ epitome, ubi amplum, & regale fidelium privilegium accuratè, & membratim recenset, exclusivè ad infideles: Vestra 1 Cor. 21, 22, 23.

ſunt omnia, ſive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura; Omnia, inquam, veſtra ſunt. Veſtra ſolummodo quoad verum, ſpiritualem, & cæleſtem uſum; vos autem Chriſti; Chriſtus vero Dei. Atque hoc illud bonum, & Dei donum, bonorum peculiare eſt; quòd tantoperè prædicat Eccleſiaſtes, cui etiam vanitatem, ægritudinem, & occupationem illam ad congerendũ, & congregandum opponit, quam peccatorum portionem, & quaſi mulctam iis à Deo impoſitam annotat: de qua alibi queritur, Quare pretium in manu ſtolidi, cui non datur cor, aut

Eccl. 5. 19. et 2. 24 26.

aut animus (ſupple) ad uſum inde percipiendum. Quorſum miſeris Euclionibus, multorum numorum uſura, paucorũ uſus? Quorſum Tantalis, & parcipromis opes immenſę concedun-tur, a quibus illi ut a ſacris, & vetitis abſtinent? quorſum prodigis, et perditis nepotibus, quibus illi ad luſum, luxúmq; ad corporum, & animarum perniciem abutuntur? Quorſum ſceleratis egregiæ animæ dotes, intellectus acutus, tenax memoria, fælix, & aureum ingenium, artium, & linguarum peritia, quibus illi (quod in Licentio diſcipulo ſuo, juvene docto, & nobili miſerabiliter deflet Auguſtinus) Satanæ, et libidinibus

ſuis miniſtrant? Quorſum illis gratiarum habitus a Deo infuſi? Quorſum talenta illa cæleleſtia largâ manu iis cõcredita, ſi in ſudarijs involvantur, involuta deliteſcant, & pereant: niſi & aliam inſuper gratiam addat, quâ gratias haſce ἀναζωπυρεῖν, eaſq; ad datoris gloriam, ad ſuorum, et proximorum emolumentum exerere, & exercere poſsint?

Claudianus de conſ. Hon.

Vile latens virtus: quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit? obſcuro veluti ſine remige puppis;
Vel lyra, quæ reticet; vel, qui non tenditur, arcus.

A. Gell.

Perinde eſt vita hominum, ac ferrum; ſi utare, ſplendet; ſin minus,

minùs, rubigo inficit.

Ὄργανον τῆς παιδείας ἔχει ἡ κτῆσις, ἀλλ' ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων. Plut.

Quò mihi divitias, queis non conceditur uti? Horat.

Vel mihi da clavem, vel mihi tolle seram. Anon.

Cap. II.

De variis Magnetis vsibus, & quis sit eorum præstantißimus.

Cùm multiplex, & πολυποίκιλος sit, vt omnium; ita singularum rerum usus, & fructus; is ferè imus, & minimus est, qui primâ facie obtuenti, in oculos, & sensus incurrit, seséque ultrò conspiciendum offert; proximus, & medius, qui a penitiùs intro-

introſpiciente, et decorticante percipitur: optimus, et ſupremus, qui a penſiculatiùs trutinante, medullam penetrante, & ſeriùs, ſæpiúſque ad incudem revocante, poſt pluteum cęſum, & demorſos ungues; poſt fuſaſque ad cœlum preces, & labores Herculeos in auri fodinis naturæ exantlatos, eruitur, et in apertum producitur. Facem exempli ut addam. Herbis et floſculis utuntur pueri, & fœminæ etiam cœco naturæ inſtinctu ad ſpiraculum, et ſpectaculum; ijſdem Pharmacopolæ, artis, & experientiæ adminiculo ad corporis alimentum, et morborum medelam: Theologi, ſpiritu ductore, & Chriſto doctore

(qui

(qui Liliorum exemplo divinam providentiam vivis coloribus depinxit) ad animum informandum, & in cæleſtibus inſtruendum. Clariùs hoc idē cernitur in ſacrâ paginâ; cujus etſi ſenſus unicus, uſus tamen triplex apud omnes conſtat; Primus, qui in cortice hiſtoriæ ſupernatat, *Literalis*; Secundus, qui ad mores informandos *Tropologicus*; Tertius, qui ad ſpiritualia, & cæleſtia mentem elevat, *Anagogicus*. Omnium adhuc clariſsimè, in *Magnete*; cujus infimus is eſt uſus, qui lippis penè, et tonſoribus notus, primitùs à Nicandro bubulco quodam in Magneſia repertus, cum pedi ſui cuſpidem; nec-

nec non crepidarum clavos, dum armenta pascęret, in areâ Magneticâ hærentes obſervaret: Altior, & excellentior is, qui a *Mathematicis* inventus; dum ejus ope, et indicio, ſtellarum motus, et progreſſus, pretiô ſaſque temporum ſtillas metiuntur, curſúſque navium dirigunt, portúſque optatos attingunt: Longè omnium præſtantiſsimus, quem Chriſtianis, & Theologis (quibus regni cœleſtis myſteria percipere datum eſt) in ſequentibus σὺν Θεῷ commendaturus ſum; dum mirifici Lapidis hujus non injucundâ contemplatione; proprietatum, et operationum ejus reconditarum non ingratâ explicatione,

catione, animam ad Christi salvatoris luculentiorem cognitionem, & gratiæ divinæ suaviorem meditationem erigam, et attollam. Hic scilicet præcipuus, & potissimus creaturarum omnium finis est, cùm scalæ nobis, & alæ fiunt, quibus animæ nostræ supra dumeta, & sterquilinia mundi hujus volitantes, faciliùs ad cœlum ascendunt, & ad Deum creatorem aspirant. Insculpsit quidem Deus in vilissimis insigne, in minimis grande, in obscurissimis visibile aliquod invisibilis suæ sapientiæ, & potentiæ vestigium: In Magnete (ausim dicere) vivam sui imaginem, nobile potentiæ suæ specimen, clarum

rum gratiæ ſuæ characterē. Nuſquam (inquit improbus ille naturæ indagator, et antiquitatis interpres diligētiſsimus) natura tam improba. Aut voluit, opinor, aut debuit dicere, nuſquam tam mirifica, & munifica; nuſquā tam myſtica, & ingenioſa; nē in gemmis quidem, aut pretioſis lapidibus, in quorum candore, & ſplendore latet quodāmo ejus divinitas; quæ in hujus fuligine, & nigredine lucet, ſplendet, & coruſcat. Sunt illi (ut Propheta loquitur) vanitatis, & mendaciorum doctores; veritatis hic, & virtutis nobis in multis, etſi mutus, magiſter.

Plin.

CAP.

Cap. III.

De usus Magnetis βορεοδεικτικου beneficio, ejusq; ad Christum collatione.

Ante ostensam nautis admirandam Magneticæ βορεοδείξεως virtutem, dici vix potest, quàm incertis erroribus acti, dubias secuti conjecturas, anfractuosè hûc illûc fluitârunt mortales, potiùs, quàm rectà navigârunt: sudo nimirum cœlo, sole vel stellis lucem præbentibus, nunc pharorum, nunc turrium, & arborum ope juxta littus, & oras terræ repserunt, non sine incredibili anxietate, et ingenti naufragij discrimine: cœlo autem nubilo, sublato syderum, solisq; aspectu, (tempe-

state

ſtate præſertim ingruente) quò ſe verterent, & quonàm tenderent prorſus ignari. Quanto igitur gaudio perfuſos fuiſſe, quantáque lætitiâ exultâſſe putemus eos, cùm primùm Magneticus iſte Neptunus ſeſe viæ ducem præbuit? Quo ſemitam ijs per ſyrtes, ſcopulóſque monſtrante, etiam nocte tenebricoſiſsimâ, cœlóq; caliginoſiſſimo ſingulos Auſtri, Septentrionis, Orientis, Occidentíſq; angulos diſcernere, & diſtinguere potuerint; nec non certiſsimè judicare, quibus in mundi plagis, qua latitudine, parùm abfuit quin & longitudine, quaſq; in orbis partes, portúſque navigij ſui curſum dirigerent. Divino denique

denique Mercurij hujus beneficio factum est, ut ultra Herculis columnas (non morantes Zephyros placidos) intrepidè vela panderent: & quæ tot seculis insulę, continentes, gentes, mercésque prorsus incognitæ delituerint, detectæ nobis, & exploratæ sæpius fuerint; totúsque tandem globi terreni ambitus nostrâ memoriâ per *Fran. Drakum*, *Tho. Cavendishium*, aliósq; Heroas non semel circum-navigatus; quòd prioribus ævis tam impossibile, quàm inauditum semper habitum fuit. Ante revelatam hominibus Evangelij *Act. 14. 16* sui lucem passus est Deus in prę-teritis generationibus gentes singulas in vijs suis errare, cogi- *Eph. 4. 18.*

tationes

tationes habentes obſcuratas, et abalienatas a vitâ Dei propter ignorantiam, mentíſque vanitatem, quæ in ipſis erat. Ludificatur enim alumnos ſuos Philoſophia, tantúmq; in proſperis ſe viæ comitem, & ducem præbet, vanis ſomnijs eos lactans, & ad tempus ſuſtentans; in adverſis, & perplexis, ut Cometa ſeu fulgur evaneſcens, in umbrâ mortis errantes deſerit, omníque ſolatio deſtituit. Dolores ſi quando lenit, nunquã curat. Cicatricibus ſi cuticulam fortaſſis obducit, non ſanat intrinſecùs. Solus Chriſtus mundi lux, via, vita, & veritas ſuos ab errore & fluctuatione omni liberat, in omnẽ veritatem ducit, my-

mysteria salutis referat, arcana veteris instrumenti recludit. Solus ille suos in tribulationibus, in carceribus, rogis & equuleis tortos, gaudio, & pace replet, quæ superat omnem intellectū. Solus ille immortalitatem in lucem profert, qua suos etiam in ipso mortis articulo solatur: Solus ille verbi sui lucerna gressus, & pedes in omnibus vijs suis dirigit; cui, rectè seciſſent, si veluti faculæ in locis obscuris 2 Pet.
splendenti, attendiſſent, usque dum dies eluxiſſet, & Lucifer exortus fuiſſet in cordibus eorum. Verùm eò quòd amorem 2 Thess. 2.
veritatis non receperunt, ut salvi fierent; immisit ijs ideirco Deus efficaciam deceptionis, ut

crederent mendacijs, fabulis anilibus, & deliris Monachorũ ſomnijs: ut denique traditiones putridas, legendas plumbeas pro oraculis fidei habentes, & cæci cæcos ſequentes ſimul in abyſſum errorum relaberentur; in qua per annorũ aliquot centurias demerſus jacuit mundus, donec iterum patri miſericordiarum placuerit, eodem fere temporis curriculo, quo Magnetis uſum monſtravit, Evangelij ſui lucem reſtituere, Papiſmi nebulas diſpellere, fraudes Antichriſtianas retegere, eccleſiam in terris reſtaurare, lucernam denique verbi ſui redaccendere, quam ut in adventum ſuum glorioſum inextinctam conſervet,

vet, etiam atque etiam venerabundi obsecramus.

Cap. IV.

De diversis Magnetis appellationibus & quàm Christo singulæ apprimè conveniant.

Οὐχ ὅτως ἠλιθιός εἰμι, ——*Non sum Tam lapis ut lapidi Numen ineſſe putem*; Neque ut divinos ei honores tribuere velim, neque de eo sentire, aut dicere, supra quã deceat, aut oporteat; nedum ut Domino vitæ vile saxum æquiparem: quo minus autem in quibusdam assimilem, non video, quid impediat; præsertim cum ipse Dominus non dedignetur se angularem lapidem,

ſuóſque vivos Templi lapides denominare. Quod autem viris heroicis accidit, ut ob varias dignitates, dicta, & facta egregia varios titulos honoris ergô ſortiantur; Magneti ob multas, & eximias virtutes, & effecta miranda contigit, ut ſit πολυώνυμος, *i. e.* plurimis nominibus condecoretur; quorum nullum eſt, quod Chriſto καθ' ἐξοχήν, et aptiùs, quàm ipſi Magneti nõ quadret. Illud inprimis *Anglis*, *Belgiſq;* peculiare a ducendo, dirigendo, & viam monſtrando impoſitũ. Nec enim cuiquam dubium eſſe poteſt, quin *Loadſtone* quaſi *Leadſtone* indigitetur; quod nemini magis appoſitè cõgruit, quàm ei, qui & via et viæ dux,

et cynosura est, qui suos ad portum cælestem dirigit, et ducit. Illud etiam in secundis à vi, & virtute magnâ *Magnes*, et à fortitudine Ἡρακλῆς *Herculeus* veteribus Græcis præsertim familiare fuit. Necnon illud Hebræorum, אחז a retinēdo. Is enim verus, et unicus Hercules est, qui omnia ad se trahit. Solus ille fortis, qui fortē illum superat, suósq; forti manu asserit, et emancipat; è cujus manibus eos nemo rapit, aut rapere potest. Tertium locum obtinet, quod & Græcis, & Gallis solenne est à duritie indomabili, quâ limam vix sentit, aut patitur Ἀδάμας, & *Aimant*. Est enim Christus ut dissidentibus Magnes, & lapis

Ioh 10.28.

angularis, qui diſſitos coadunat; ſic et adverſantibus, ſeu contraluctantibus *Adamas* indomabilis (quorum utrumque in *Athanaſij* encomijs legitur) contra quem nullorum hoſtium vis, aut impetus; ne ipſius quidem Satanæ rugientis leonis, & ruſi draconis rabioſus furor, aut inferorum portæ prævalere potuerint. Poſtremum eſt *Siderites*, quod a ferro fratre uterino, et in ijſdem terræ viſceribus connato obtinuit. Eſt enim ferrum, & objectum, cujus tractione delectatur, et medium, ſeu inſtrumentum, cujus famulatu in trahendo gaudet. Quibus in utriſque mirum eſt, quàm graphicè, & ad vivum Chriſtum exprimat,

mat, & imitetur, qui nos homulos fraterno amore amplectitur, et fratrum nomine compellare non recusat, aut erubescit. Hæc ego singula dum sigillatim, et fusiûs enucleavero, nemo erit, opinor, aut tam delicatus, aut tam a studijs amæniorib⁹ alienus, cui nauseam, aut fastidium creabunt; neque tam atheologus, cui Magnes erit lapis offendiculi.

Cap. V.

De virtute Magnetis elevatrice.

FErrum suâ naturâ, ut gravia omnia, deorsum fertur; ut terræ filius natu maximus, et amore præcipuus, ad centrum

ejus, velut ad matris gremium, miro, & peracri desiderio tendit: Ita ut absque vi, aut miraculo nunquam in aërem ascendat, aut superna capessat. Verùm enim vero ea Thaumaturgi hujus lapidis mirifica vis est, ut si ferrum leviter tetigerit, & amore sui semel infecerit, matrem suam communem illico deserit, ad Magnetem impetu rapido, remis, velisque properat, & effusis (ut aiunt) ambabus ulnis amplectitur; quòd si vi manuum, aut filo detineatur, quo minùs eum attingere possit adhinniens, & anhelans advolaturit. Vidi, nec non attonitus vidi acum Magnete excitam in aëre contra naturam

suam

ſuam pendulam, rectà cuſpidẽ ſuam verſus Magnetem ſupra poſitum attollentem. Vidi eandem artificiosè ſupra laminam æneam in aquæ ſuperficie locatam, ex altero lebetis latere in alterum, etiam ſine ſuberis ope Magnetem verſus ſupernatantẽ & ſupervolantem. Magnetica hęc miracula, Deíque magnalia ſeriùs animadvertenti ſubijt in mentem, quod de bipenni per negligentiam in amnis fundum delapſâ, Prophetæ juſſu inde emergente, & enatante ſacrâ paginâ memoratur. Nec non de *Elizæo* boves, aratra, ſuos, et ſua deſerente, *Eliám*que viæ incognitæ ducem, & comitem ſine mora ſequente: Quódque de

Petro

Petro ſuper fluctus marinos ad Dominum ſuum pedibus iter faciente. Quibus hiſtorijs qui fidem difficulter adhibet, et Iudæis relinquit credendas; conſpiciat modò hæc, quæ de Magnete expertus loquor, & vel mihi injurato, vel oculis ſuis credat. *Magna ſui faciunt per leviora fidem.* Beati ſunt (non inficias eo) qui, cùm non viderint, credant: neq; tamen contemnēda ſunt prorſus ſenſibilia hæc fidei adminicula, quæ ſuo more, et modo fidem adjuvant, et corroborant. Ex his autem ut emolumenti aliquid nobis accreſcat, noverimus animas noſtras ab Adæ lapſu miro torpore, et gravedine laborare; clamante

mante etiam poetâ gentili,

O curvæ in terras animæ, & cæ-
lestium inanes! Pers. Sat. 2.

conquerente *Bernardo*, carnales eas factas et in carnem quodâmodo versas: assimilante eas *Anselmo*, aviculæ ad lapidé ponderosum alligatæ: *Augustino*, apiculæ in mellis copia ita demersæ, ut alas suas nullo modo extricare, aut explicare possit. Degravat nimirum eas corporis moles, deprimunt seculares curæ, irretiunt cupiditates carnales, illaqueant voluptates illecebrosæ. Quis nos levabit hoc onere? Quis tollet has sarcinas, quò leviùs scalam Iacobi ascendamus? Quis alas dabit columbinas

binas, quibus cœlos petamus, & municipatũ in ijs noſtrum habeamus? Is ſolus, qui Magneti virutem ſuam infudit; ſolus ille, qui *Matthæum* è telonio, *Zachæum* ex arbore, *Philippum* è curſu, *Eunuchum* è curia ad ſe traxit, ut eum in unguentorum ſuorum odore ſequerentur; qui nos olim in monumentis mortuos tubæ ſuæ clãgore excitabit, ut ad illum, tanquam aquilæ ad cadaver, congregemur: ille denique, ad quem nemo unquam venit, niſi, quem virtute ſua plus quàm Magneticâ traxerit, dum novam voluntati vim, vitam, et virtutem inſpirando creat, et creando inſpirat.

CAP.

Cap. VI.

De Virtutis suæ communicatione, & in ferrum derivatione.

INter flosculos & lapillos pretiosos nullus fere est, qui dotē aliquā insignē a bonorū omniū largitore non acceperit: quam tamen eâ lege accepit, sibi ubeam habeat, & in seipso inhærentem possideat; aliis autem connatis cōmunicare & transfundere vix, aut ne vix quidem possit. Rosæ si malvam appositeris, nullum inde colorem, aut odorem roseum delibat. Smaragdo seu Sapphiro si silicem, aut pumicem admoveris, nullō inde splendorem mutuantur.

Solus

Solus Magnes hoc a natura singulari privilegio locupletatus triumphat, ut ferrum juxtà positum sua virtute & verticitate ditare possit. Quódque magis mireris annulum ferreum hac virtute sic imbuit, ut vicinus vicino, secundus tertio, & sic deinceps in longam seriem eandem impertiat. Quódque fidem adhuc omnem pene superat, non modò per appositionem hæc facit, & contactum leviſsimum; sed etiam per trãsitum, quasi per divinum quendam afflatum; hoc tantùm discrimine, quòd in celeri transitu ferrum jejuniùs & leviùs impręgnatur, & minori verticitate inficitur: sin ad spatium aliquod

quod longius immoretur, majorem imbibit virtutem, eam scilicet quæ fortiùs trahat, quæ diutius insideat, quæq; difficiliùs amittatur. Solus itaq; & unicus hic lapis inter omnes res creatas dignus repertus est, qui Christi, & Spiritus sancti vim, & gratiam non adumbret modò, sed ad vivum repræsentet. Cum enim artium, scientiarum & linguarum peritia non sine improbo labore, & longâ temporis jacturâ acquiratur; Christus Spiritum suum, ejúsque dotes multiformes Apostolis affatim insufflando largitur; quas illi fratribus suis; *Philippus* (puta) *Nathanieli*, *Paulus Timotheo*, continuatâ serie ad mundi

usque finem transmittunt, longè certè minori negotio; non per impositionem modò manuum, sed per transeuntis corporis umbram; imo per absentium sudaria. *Saul* in Prophetarum consortium obiter incidens spiritu prophetico leviter & ad tempus tinctus est: *Elizæus* autem *Eliæ* lateri diligenter, & inseparabiliter ad ascensum ejus usque adhærens, uberiori Spiritus quasi cornucopiâ ad miraculum repletus est. Preces etiam subitaneæ, quas ejaculationes appellamus, nunquam inauditæ à cœlo redeunt, quin aliquam inde gratiæ portiunculam deducunt: quòd si quis per plures dies cum *Mose* et *Eliâ* jejunijs,

et

et precibus invigilet, et pernoctet, mensurâ longè copiosiori, velut imbre largo, irrigabitur.

Cap. VII.

De virtute ferri attractive, cum Christi Magorum tractione.

MIrabilis profecto creatarum quarundam rerum natura; sed vis creantis semper major, in illo præsertim lapide, *Vide Boshierum. Conc. 6.*

— Quem nomine Graij
Dixerunt Magneta, lapis miro attrahit usu, *Aonin. Palerius lib. 3.*
Quodcunq; objicitur ferrum, tactumq; quod illo est
Ducit, & hoc itidem veluti Magnesia cautes.

Christus autem nonne Magnete

quocunq; omnino mirabilior? Quis neget? Ille enim rem unã duntaxat, & quidem juxtà positam ad se trahit; Christus verò æquè omnia, et quæ longissimè, & quæ proximè distant; animata, & inanimata; ratione prædita, & rationis expertia. Magnes duntaxat ferrum, succinũ tantùm paleam ad se rapit: quid non, aut quos non trahit Christus ad seipsum? Ab illo condita, ad illum omnia, circulo ac gyro acta, uti flumina ad fontes suos revertuntur.

Ipse *Alpha* et principium producens; Idem *Omega*, & finis ad se reducens universa.

Ioh 12. *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, aiebat olim

olim, loquens, partim de suâ probrosâ in crucem exaltatione, partim de triumphali suo in cœlos ascensu.

Exaltatus, actúsque in crucem traxit latronem vicinum, & in alterâ velut staterâ illi adpensum, quamlibèt talento et onere immani peccatorum gravem.

Traxit Centurionem et alios tum nonnullos, qui, visis tot in morte ejus monstris, in urbem revertentes, miram pœnitudinem testabantur. Act. 9.

Traxit ad se Apostolos desertores, ac maximè *Petrum*. Exaltatus verò ascensu suo in cœlos, quid, aut quos ad se non traxit?

Traxit *Saulum* ex equo dejectum, è cœlo adloquutus: Tra-

xit mox à Pentecoſte, nunc quatuor, nunc ſex millia, nunc alios, qui ſe Apoſtolis conjungebant, et denique Ieroſolymis relictis totum occidentem.

O admirabilis potentia crucis! O ineffabilis gloria paſſionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi. Traxiſti enim, Domine, omnia ad te, & cùm expandiſſes tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ majeſtati ſenſum totus mundus accepit.

Traxiſti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem Iudaici ſceleris, unam protulerunt omnia elementa ſententiam; cùm ob-

obscuratis luminaribus cœli, & converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaq; creatura impiorum sese usui denegaret.

Traxisti, Domine, omnia ad te, ut, quod in uno Iudeę templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertóque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Levitarum, & sacratior, & unctio Sacerdotum unum de omni gente [redacted] regnum.

Vt Cæcias nubes, sic populos ad se Christus, nunc hos nunc illos traxit. Vt enim ventus ille dictus Cæcias (quem *Plinius* media inter Aquilonem, & ex-

ortum flare ſcribit) unus contra aliorum Septentrionalium ventorum naturam nubes non pellit, ſed verò attrahit: ſic Chriſtus undequaque quaquâ viâ omnes ad ſe vocat, adducit, attrahit.

Omnia traham ad meipſum, neque duntaxat omne, quod venit ad me, non ejiciam foras.

Glorioſus ipſe quidem tam multorum converſione, ad ſéq; attractu populorum; ſed hodie idem ſeipſo ab hac Magorum tractione, adorationéq; glorioſior Trahe me quoque ô mi bone Ieſu ad teipſum; converte me & convertar ego. Nemo enim venit ad te, niſi tu, aut pater traxerit illum.

Tractio ista Magorum, cæteris celebrior; quæ à
1. *Situ* — *Trahentis Christi.*
2. *Ætate* — *Trahentis Christi.*
3. *Majestate* — *eorum, qui tracti sunt.*
4. *Dignitate* — *eorum, qui tracti sunt.*
5. *Multitudine* — *eorum, qui tracti sunt.*

1. A *Situ trahentes* : Nam è cruce traxit quidem, sed unum, sed vicinum, sed adpensum illi, penéque confixum; nunc verò è cunis ipsis in Magis populos totos, extremo penè Oriente constitutos, stellâ unâ, veluti quodam crepundiolo attraxit.

Et post ascensionem in cœlum, eundem exthrono illo gloriæ, & Patris dextrâ multos traxisse, hodiéq; trahere, quid mirum? at nunc è stabulo etiam Reges trahere quàm stupendũ.

2. *Ætate*; Aliàs vir, justæq;

ętatis traxit viros piſcatores &c, Nunc & infans, & unius propè diei ſuper terram traxit Sacerdotes, Philoſophos, Reges.

Prædictum ſcilicet jam olim; Antequam ſciet puer vocare patrem ſuum, et matrem ſuam, capiet vim Damaſci, et ſpolia Samariæ contra regem Aſſyriorũ.

Vt *Hercules*, cùm in cunis jam tum ſerpentes duos eliſit, victor fortè glorioſior fuit, quàm cùm deinde adultus, in Nemæâ ſylvâ inuſitatæ molis leonem jugulavit; cùm in Erymantho Arcadię monte terribilem aprum viciniæ vaſtatorem vivum cepit: ſic Chriſtus illuſtrior, cùm ad cunas ad ſe adoraturos ſe Reges traxit, puellus adhuc lallans;

quàm,

quàm, cùm in cœlo regnans, *Paulos* primùm, & iterum *Constantinos*.

3. *Majestate*; Alios trahebat, cùm miracula jam multa edidisset, ac nova etiam ederet; ut terræ motum, saxorum scissuras, tenebras orbe toto, &c. Nunc verò pusio, nondum ære lavabilis, adhuc in cunis vagiens, perséque (nisi Angeli pastoribus, stella Gentibus, vagitus hospitibus proderent) ignotus: Ecce tibi proceres & superbos illos *Persarum* reges, qui se homines fateri nolebant, in stabulum, quasi curiam, velut die dicto, per stellam, quasi Apparitorem, ut veluti causam dicant, & atratorum instar supplices fiant, ad se sistit,

sistit, trahit, nolentes volentes cogit. O *Magnetem!* O tractorem hodie verè admirandum!

4. *Dignitate*; Aliàs latronem seu sicarium unũ, Centurionẽ, & pauculos alios; deinde promiscuam plebem, &c. Nunc summos & Philosophos & Reges Orientis non infimos, aut saltem regum legatos, imo reges in legatis (si tamen non fuisse hos reges credendum esset) traxit.

5. *Multitudine*; Aliàs paucos, hodie unum & alterum, cras mille: Nunc verò è cunis tria simul regna, Chaldæum, Arabicum, Sabæum: *Nam —*

Claudianus — *totus componitur orbis*
Regis ad exemplum.

Con-

Conversos, aversos, perversósq; reges ferè passibus æquis plebes consectantur.

Quis putas puer iste erit? Verè, verè pluſquam *Salomon* hic! 3. Reg. Ad *Salomonem* ex *Saba* ventum est quidem, allatáque munera; sed ad grandævum, sed ad sapientiæ famâ celebrem, &c. Sed a fœmina, & (quamvis regina & *Sibylla* quorundam opinione) tamen fœminâ. Ad Christum verò & puellulum, & in stabulo, & sub paleis delitescentem, in mediò divûm animalium, cognoscendum et viri, et reges, et Antistites sacrorum, et Philosophi, et fortè ab extremo Oriente adcurrerunt. divûm

Non modò pluſquam *Salo-*

mon

mon hic, sed ipse plusquam ipse i.e. ipse puer se viro major; voluntate tamen, ac dispensatione; non infirmitate ac necessitate. Omnia enim, quæcunque voluit, fecit, & quando voluit in cœlo, & in terra. Psalm.

Traxisti ergo, Domine, omnia ad te, totum cum regibus suis Orientem; imo gentes omnes in viris tribus istis, quos Ecclesiæ progenitores vocat Chrysostomus; Nos primitias Gentium non malè (opinor) etiam appellamus, vel semina, primá, germina, & flores Ecclesiæ ex gentibus. Hom. 7. in Mathæum

CAP.

Cap. VIII.

De eadem cum ministrorum & concionatorum animas ad Christum convertendi potestate.

SI ea Chistiano cuipiam, verbi præsertim ministro, quæ *Salomoni* olim, cùm *Gibeone* mille Deo obtulisset holocausta, libera quidvis petendi daretur optio; quid ei prius, aut potius in votis esse deberet, quàm ut amplam ejus attractivæ, & Magneticæ virtutis portionem a Deo acciperet? qualem *Petro*, & *Paulo*, reliquísque eorum olim impertiit, quos hominum piscatores fecit, quorũ operâ mundum ad se traxit, & convertit. Ecquid enim imperatori

ratori gratius esse possit, quàm ut cives multos servet, & hostes plurimos captivos redigat? Ecquid piscatori, quàm ut piscium multitudinem retibus inclusam è mari in littus pertrahat? Inolevit crebra apud vulgus fama, & opinio de * Aquilæ ossifragæ adipe, eam inesse ei virtutem, vt ad eum pisces in Stagno omnes resupini & semisopiti adnatent, faciléque se capi, & manibus tractari patiantur. Quod si verum esset, quàm studiosè eum inquirerent piscatores? & quanto precio compararent? Christus autem et potis est, & solet ministros suos eâ facultate instruere, cáque virtute ἀλιευτικὴν imbuere, quâ oves errantes ad eum reducant

Offrey.

reducant; quâ animas palantes lucrifaciant; quâ & se, & suos servare, gregémq; sibi commissum in fide, & caula retinere possint: quod quibus concessum est, non video, quid sibi majus petere, aut quid alijs melius invidere possint.

Cap. VI.

De Auri & Argenti neglectu, Ferri autem unitione, cum Christi Angelorum, præteritione, hominumq; electione.

AVrum & Argentum quid aliud sunt, quàm mundi hujus elementaris monarchæ, reliquis metallis, regis & reginę in morem, imperantia? quorum

quasi

quasi comites, & proceres sunt lapides, qui vocantur pretiosi, Æs & stannũ equestris ordinis; plumbum autem et ferrum merũ vulgus: Auri & argenti quàm insano amore flagrãt homines? lapides autem pretiosi quanti apud principes & Magnates æstimantur? gemmulæ & conchulæ quanto in honore et pretio habentur? Habent nimirum splendorem suum, ut & reliqua metalla, quò spectantium oculos alliciant, animósq; fascinẽt. Ferrum interea, cùm nullius coloris aut pretij sit, vili ab omnibus penditur, vilíque passim venditur, sub pedibus ubique conculcatur; infimum inter hęc omnia & locum & gradum obtinet.

tinet. Quibus tamen omnibus non obſtantibus, imo ſpretis prorſus, & pro nihilo habitis, hiſce omnibus ſuâ naturâ claris et illuſtribus, ferrum præ omnibus his elegit *Magnes*, quod violento & avido ad ſe affectu rapit, quod arcto amore complectitur; cujus ſolius copulam, & unionem unicè appetit; cujus amicitiâ, & vicinitate mirum in modum gaudet; cujus ſodalitio, & famulatu perpetim utitur: quin et *Siderites* à ferro honoris cauſâ cognominari voluit.

Qui ſympathiam hanc nobilem miramini, conijcite oculos in Chriſti φιλανθρωπίαν, & noſtram electionem. Angeli etiam lapſi ſi ad nos homulos cō-

ferantur, immane quàm glorioſæ ſint creaturæ! quàm nobiles ſpiritus! quorum ſcientia noſtram cæcitatem, potentia imbecillitatem, decus & dignitas obſcuritatem, quot, quantíſque paraſangis anteit? At horum naturam non aſſumpſit Dominus noſter, ſed præteritis, & in lacu ſulphuris, & in *Gehennæ* carcere jacentibus, nos vermiculos; nos pulverem & cinerem elegit, nos miſellos amavit; os de oſſe, caro de carne noſtrâ, de muliere factus, eâ ſuper Cherubim et Seraphim evexit, in ſupercæleſtibus ſedere, ab Angelis & Archangelis adorari fecit; nos ſanguine ſuo pretioſo redemit in ſtatum filiorum

orum Dei, hæredum, & cohæredum cooptavit; divinæ suæ naturæ, gratiæ, & gloriæ participes fecit. Quis hic cum *Chrysostomo* non exclamat? ἰδὲ τὴν κυρίου ἡμῶν φιλανθρωπίαν, μηδὲ ψιλὸν πρᾶγμα τοῦτο εἶναι νομίσης, καὶ γὰρ ὄντως, θαυμαστὸν καὶ ἐπιπλήξεως γέμον, καὶ τοῦτο, πολλάκις εἰς νοῦν ἐγὼ λαβὼν ἐξίσταμαι, καὶ μεγάλα περὶ τοῦ ανθρωπίνου γένους φαντάζομαι. Videte etiam vocationem vestram, fratres mei, non esse *viz*: Multos sapientes & potentes secundũ carnem, non multos illustri prosapiâ editos; verùm, quæ vilia sunt mundi, quæ stulta, elegit Deus, ut pudefaceret sapientes. 1. Cor. 2. 6.

Cap. X.

De Magnetis, & Christianorum, ἀπροσωποληψία.

ECce porro utriúsq; ἀπροσωποληψίαν. Ferrum enim tam in arcâ ligneâ, quàm in aureâ capsulâ incluſum; tam vaginâ pelliceâ, quàm thecâ oloſericâ tectum agnoſcit, & ad ſe attrahit *Magnes*: ferrum tantum eſt, quod reſpicit, ferri ornatum et veſtitum qualemcunq; deſpicit. Ferrum eſt, quod quærit, quod amplectitur; non aureæ phaleræ, aut bracteæ, quibus circumtegitur. *Quare pudeat nos, fratres, cum reſpectu perſonarum habere gloriosam noſtram Jeſu Chriſti fidem*; ita ut ſi quis in cætum

Iacob. 2.

cætum vestrum ingrediatur aureum gestans annulum, & veste indutus splendidâ; ingrediatur autem et pauper sordidè vestitus, et respexeritis ad eum, qui vestem gestat splendidam, et dixeritis ei, Tu sede hîc pulchrè; pauperi autē dicatis, Tu sta illic, aut sede subter scabellum pedū; nonne judices facti estis perversè deliberantes, et discrimen apud vos iniquum facientes? Nonne Deus elegit pauperes hujus mundi, ut divites fierent fide, hæredes regni, quod promisit ipsum diligentibus? Quin potius & Dominicam & Magneticam hanc ἀπροσωπολημψίαν intuentes, & considerantes utramq; imitamini; et Christianos ignobiles,

biles, idiotas, egenos et cõtemptui habitos ſeculi hujus illuſtribus, ſapientibus, et opulentis anteponite, vobiſque comites, amicos, conjuges in Domino tantùm eligite, diligite, cum ijs in terris amicitiam colentes, quibuſcum in æternum victuri eſtis. Hoc enim Domino, Deóque noſtro gratum, et acceptum eſt; apud quem nec mas, nec fœmina, nec Barbarus, nec Græcus, ſed nova in Chriſto creatura omnia eſt in omnibus.

CAP.

Cap. XI.

De ponderum gravitate, quæ Magnes supra quàm Gagates attrahit.

QVi semel Magnetem cum admiratione vidit, non fila modò, et ramenta ferrea, sed grande et ingens ferri pondus, anchoram putà, quæ viginti libras æquet, attollentem facilè, et in altum ab humo elevãtem; quanto ille cum contemptu Gagatem, et succinum conspicit paleas, et festucas ad se, postquam attritione calefacti fuerint attrahentes? Tantundem & longe majus discrimen cernere est inter sapientum, & stultorum; inter sanctorum, & carnalium animas: quorum istæ ea curant,

et meditantur ſolummodo, quæ magni ſunt momenti, quæ ad regnum Dei, ſuámque æternam ſalutem attinent; illæ autem mundi hujus quiſquilias, & nugas ſectantur: Non minus certè, quàm inter mercatores, qui magni valoris merces coemunt; et nugivendulos agyrtas, qui tricas, apinas, et crepundia circumgeſtant: inter araneas, quæ muſcas captant; aquilaſque, quæ lepores et ardeas venantur; intérque aucupes denique qui columbas; & pueros, qui papiliones inſequuntur.

Cap. XII.

De mundicie, quam & Magnes, & Christi Spiritus in objectis requirunt.

FErrum autem utcunque appetat *Magnes*, non tamen nisi mundum, & politum attrahit; mundiciem mirum in modum amat, et affectat, sordes autem valdè odit, et aversatur. Vnde est, quòd, si anchoræ lateri rubiginoso, aut pulvere consperso eum applicueris, vel non omnino, vel ægrè, et lanquidè vires in eam suas exeret exercebítque; eundem si terso, et benè limato lateri apposueris, totis eam quantiscunque viribus ad se avidè rapiet, et fortitèr elevabit:

bit: ſimilimus in hoc Spiritui columbino, qui in cordibus puris, tectíſque candidis tantùm inhabitat; immundis, & ſordidis abſtinet, et avolat. Senſit hoc magno ſuo cum damno, et dolore *Regius ille vates*, qui poſtquam corpus ſuum adulterio, animam homicidio, utrumque ſanguinibus polluiſſet; non priùs Spiritus reditum, & redingreſſum obtinuit, quàm utrumque lachrymis, & ſeriâ pœnitentiâ purgâſſet.

Cap. XIII.

De primorum ferri ad Magnetem motuum, & animarum ad Christum tarditate, & sequentium velocitate.

LAtum et clarum discrimen est inter primum ferri ad polos Magneticos motum, & posteriores omnes à primo ortos. In primo enim tactu, tractuque patitur potiùs ferrum, quam agit: trahitur quidem in tactum ferrū, sed obtorto quasi collo, & volens nolens lentè, tardéque accedit. Ante contactum enim, aut nulla prorsus intercedit ferro cum Magnete amicitia, nulla ad polos respectiva verticitas; aut ea tam languida,

guida, & altùm ſopita, ut ſenſibus percipi vix poſsit: quę poſtquam per coitum et afflatum Magneticum excita ſemel, & expergefacta eſt, ſponte et celeritèr ad Magnetis nutum, et minimum quaſi ſibilum accurrit.

Major & manifeſtior diſparitas inter actus motúſque eos, qui converſionem noſtram ad Chriſtum præcedunt, & comitantur; eóſque, qui eam ut fructus, & effecta conſequuntur. Habet enim ſe in illis præcedaneis voluntas noſtra hoſtilitèr & paſſivè, erátque in nobis non ſopita tantummodò, ſed et mortua prorſus omnis cum Deo familiaritas; neque ab eo alieni tantùm eramus, ſed averſi prorſus

ſus & inimici, συγητοὶ καὶ συγοῦντες, exoſi, et odio Deum habentes: In lapſibus autem et peccatis ijs, quæ poſt converſionem perpetrantur, ſimile quid nobis accidit, ac limaturæ ferreæ diutiùs ab igne torrefactæ, aut ſordibus inquinatæ, vel rubigine vitiatæ: corrũpitur enim ab his humor ferri viſcoſus, & minuuntur vires, quę velut in ægroto corpore difficiliùs à Magnete reſuſcitantur; ægriùs ab eo trahitur hujuſmodi ferrum, nec in tanta diſtantia, nec tam citato curſu. Apoſtatis autem, & ad mortem contráq; Spiritum ſanctum peccantibus idem omnino accidit, quod eidem limaturæ in furno reverberationis valentèr, &

vehe-

vehementèr aduſtæ, et in *Crocum Martis* (ut vocant) verſæ, cujus verticitas nullis Magnetis viribus renovatur, nec ullis incantamentis revocatur, utpote in totum & penitus deformata. Nam fieri non poteſt, ut, qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum illud cœleſte, & participes fuerint Spiritus ſancti, guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, ut denuo renoventur ad reſipiſcentiam.

Hebr. 4.

Cap. XIV.

De ferri longè remoti lento ad Magnetem motu, ejusdem appropinquantis celeritate.

FErrum in vasis adversâ parte longinquiùs à Magnete remotum, tardiùs ad eum vergit, & lentiori motu versus eum tendit; quo autem viciniùs appropinquat, eo gradum grandit, & velociùs advolat; magis enim, magísque invalescit virtus, & acceleratur coitio. Non aliter Patrum eorum, qui ante diluvium, & circa *Mosis* ætatem degebant, quíq; adventũ Christi in carne multis postea sæculis futurum prospiciebant, tepidiùs, & languidiùs eum desiderabant:

rabant: qui autem paucis ante nativitatem ejus annis (ut *Zacharias* & *Simeon*) eum quasi solem jamjam exoriturum cernebant, totis ad eum affectuũ velis, remísque ferebantur. Idem in nobis, qui in fines seculorum incidimus, debet esse fervens & ardens erga secundum ejus, qui jam præ foribus est, adventum animus, & appetitus. Idem in Christianis ætate provectis, quorum salus, & gloria propinquior est, quàm cùm recẽs conversi primitùs crediderunt. Non secus quàm rivulorum decursus, & impetus multò est prope Oceanum, quàm juxta fontes concitatior. Tempus jam est, (inquit senex *Zanchius*

ad

ad *Sturmium* decrepitum) ut ad Christum et cœlum stelliferum à terrâ properemus, scientes nos ibi propediem cum Domino futuros.

Cap. XV.

De acubus ad Magnetem, & animabus ad Christum, non sine tremore post recessum redeuntibus.

SI Magnetem in vase ligneo rotundo, tanquam nautam in cymbâ, locaveris, ita ut liberè super aquæ superficiem in cisternâ, vel dolio, huc et illuc fluctuare ad placitum possit, seipsum continuò cum vase sæpius circumvolvet, neque priùs quiescet, quàm polos utrosq; cœ-

leſtes rectà reſpexerit; à quibus cum ſi vi manuum dimoveris, iteratis verſionibus ſe circumgyrabit, neque priùs tremulo motui finem imponet, quàm polos eoſdem repetierit. Idem in acu Magnete illitâ videre eſt, quam ſi a polaribus punctis decuſſeris, per ſingulos pyxidis & mundi angulos inquieta circũvolitabit, neque aliter ſe, quàm cum tremore quodam verſus polos ſiſtet. Eandem animabus noſtris legem impoſuit Deus, poſtquam peccando noſmet ab ipſo dirupimus, exules dein cum *Caino*, ab ejus facie huc & illuc circumvagamur, motibus infeſtis agitamur, in terrâ Nod, *i. e.* inquietudinis, vitâ tranſigimus, ædi-

ædificamus, diruimus, rotunda quadratis mutamus, quaquaversùm velut ægroti in lecto volutamur, quò nos vertamus nescij vanitatibus innumeris cum *Salomone* spiritus nostros vexamus, usque dum a spiritu columbino edocti, ad arcã *Noe*, *i. e.* quietis revertentes, cum carceris custode ad pedes ministrorum contremiscentes prosternimur, & cantilenam *Davidicam* ediscimus; Quid te dejicis? quid te turbas animula, vagula, misella? quid in me perstrepis? In Deum tuum spera; in salvatorem tuum onus tuum conjice, onus ejus leve in humeros tuos suscipe, & requiem invenies sempiternam.

Per motus varios, et per discrimina mille
Tendimus in requiem, quò mens lassata quiescat.
Hanc solam præstat Christus, pax unica nobis;
Sola quies, alibi nullam sperare quietem.
Pax alibi bellum est, pacem TE poscimus omnes,
Omnem qui captum superas & mentis acumen.

Cap. XVI.

De medij interpositi crassitie non impediente tractum Magneticum.

EX omnibus stupẽdis Magnetis operationibus, nulla est, quæ magis attonitos tenet spectan-

ſpectãtium oculos, quàm quòd virtus ejus craſſa tabulata, vaſa figulina, marmorea, metallica penetret, & pertranſeat: ita ut nihil tam ſpiſſum aut ſolidum ſit (ne aurum quidem, quod ſuâ denſitate reliqua metalla antecedit, ne murus aut caminus lateritius (experto credite) nec corpus hominis obeſiſſimi) cujus interpoſitio viam muniat, et obſtruat ejus efficaciæ, et virtutem ejus impediat, quò minùs filum aut verſorium ferreũ commoveat, &, quò velit, impellat, unde autem velit, deducat. Nequicquam ei laminæ æneæ, argenteæ, ſtanneæ, licet valdè craſſæ, obſtant, nec attractionem ejus retardant.

De Civit. Dei lib. 21 cap. 4.

Suprà fidem, inquit *Augustinus*, illud est, quod a fratre, et coepiscopo meo *Severo Milevitano* de isto lapide comperi. Seipsum namque vidisse narravit, quemadmodū *Bathanarius* comes *Africæ*, cùm apud eum convivaretur Episcopus eundē protulerit lapidem, eúmque sub argento, ferrúmq; super argentum posuerit. Deinde sicut subter movebat manum, quâ lapidem tenebat, ita ferrum desuper movebatur: atque argento medio, nihilque patiente; concitatissimo curlu infrà lapis ab homine, suprà ferrum rapiebatur a lapide. Dixi, quod ab illo audivi, cui, tanquam ipse viderim, credidi. Tu verò lector, mihi,

si

si placet, injurato fidem adhibe, qui sæpiùs coram multis testibus locupletibus, jámque cum hæc literis mando, Magnetem oculis hisce conspicio, qui subter mensam sex uncias crassam, trans murum lateritium versorium in aquæ vasculo super mensam positum, huc & illuc celerrimè circumagitet. Quod cùm oculis cerno, et animo verso, mirari prorsus desino; nulla pericula tam formidabilia fuisse, nullum tormenti genus tam crudele, ne carceres, rogos, aut equuleos, qui sanctos & fideles a Christi amore separare potuerint, aut aliquo modo obstare, quò minùs Agnum, quocunque iret, sequerentur, neque efficere,

ut nominis ejus professionem, fideíq; defensionem desererent. Neque mediocriter hæc fidem nostram circa resurrectionis articulum augent, & coroborant; neque tantillum dubitare patiuntur, ne monumenta & sepulchra, ne maris aut terræ profunditas impedimẽto in fide Christi mortuis esse possint, quò minùs vocem Christi, & Angelicæ tubæ clangorem audientes ad vitam resurgant, & velut ad cadaver aquilæ, velocissimè congregentur. Atque hic finis est, & scopus, quem sibi in mirandis illis narrandis proposuit sanctus ille Pater; ut intellectũ per sensum informaret, & per visibile miraculum articulum

resur-

resurrectionis redderet facilè credibilem.

Cap. XVII.

De annulorum Magneticorum & Christianorum spirituali & mirandâ concatenatione.

HVic affine, néque minùs mirum est illud, quod cùm primùm vidit, inhorruisse multum se fatetur idem ibidem *Augustinus*. Cernebam, inquit, a lapide ferreum annulum raptum atque suspensum; deinde tanquam ferro, quod rapuerat, vim dedisset suam, communémque fecisset, idem annulus admotus est alteri, eúmque suspendit: atque ut ille prior lapi-

di,

di, sic alter annulus priori annulo cohærebat. Accessit eodem modo tertius, accessit & quartus, (duodecim hoc ordine concatenatos vidisse me attestor:) jámque sibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium, quasi catena pependerat annulorum. Quis istam vim non stuperet, quæ illi non solùm inerat sed per tot suspensa transibat, & invisibilibus ea vinculis subligabat? Similem catenam pari cum admiratione sed altiori meditatione contemplatus est *Gregorius Nazianzenus* is, qui cùm in vivis esset, Theologi nomen apud omnes meruit. Sic enim orationem illam

illam quam apud Constantinopolitanos in Archiepiscopatus initio habuit, exorsus est. Non possum non mirari, quid vobis in mentem circa conciones meas venerit; quámque ob causâ peregrinâ hac nostrâ voce exili, & nihil in se amabile habenti ita capta sitis, ut eodem modo erga me affecti videamini, quo ferrum erga Magnetem. Nam & ex me pendetis, & alij ex aliis mutuo nexu cohærentes, & omnes ex Deo; a quo, & in quem omnia. Ὦ δεσμοῦ ἀλύτου. O catenam nunquam satis prædicatam! quam vinculis firmissimis compactam nectit ipse spiritus non manu vel arte, sed Dei ipsius digito fabrefactam,

aureis

aureis torquibus defæcatiorem, adamantinis firmiorem, gemmeis pretiosiorem. Tres enumeravit, vel excogitavit potius aurei & ingenij, & oris, Orator allegoricas catenas, quibus vulgares, quotquot sunt in mundo, amicitiæ copulantur. Voluptatis primam, quam ex rosis, violis, floribúsque mollioribus quasi corollam Bacchanalem contexuit. Secundam vtilitatis, quam ex annulis argenteis aureísque conflavit. Honoris tertiam, quam ex gemmis, & lapidibus pretiosis compegit: viles omnes & facilè fragiles catenulas, quibus quæ conglutinātur amicitiæ, quid aliud sunt, quam vitreæ, & argillaceæ, si

Dion. περὶ ἐλευθερίας

ad

ad hanc ſpiritualem, inviſibilem, incontaminatam, & immortalem conferantur? nullum hic ſpurcum libidinis gluten, nullum avaritiæ ſordidum cæmentum; nullum hic ambitionis, aliorúmque vel humorum, vel vitiorum, contemparamentum. Sola hæc τελειότητος σωδεσμος, perfectionis illa copula fuit, quæ primævos illos Apoſtolos, & aurei verè ſeculi Chriſtianos inter ſe continuit, cùm omnes credentes eodem loci manentes omnia habebant communia, poſſeſsiones & facultates vendebant, &, prout cuique opus erat, diſpertiebant; vnanimitùs indies in templo perdurantes, panem domeſtica-

meſticatim frangentes, cibum cum exaltatione & cordis ſimplicitate capientes, laudantes Deum, & gratiam habentes apud populum. Gratiam nimirum ijs, apud Gentiles conciliavit, novóſque indies ijs allexit, & adjunxit fratres Magnetica hæc charitatis catena, quam ipſi Pagani ſuſpicientes clamabāt, Vide, ut invicem ſe amant Chriſtiani! Vide, ut mori pro ſe invicem parati ſint! Hoc illud cęleſte, & ſpirituale charitatis vinculum fuit, quod regium illud & nobile par amicorum tam arctè conſtrinxit, *Davidem* & *Ionathanem* intelligo; quorum alter alterum amore pluſquam fæmineo ſupra ſeipſum,

Tertul. in Apologett.

ſuprá-

ſupráque regnum hæreditarium ad mortem uſque coluit: quorum pares nulla inter *Ethnicos* ætas novit, nulla Philoſophia peperit. Præ quorum amicitiâ, *Scipionis* illa & *Lælij*, *Pyladis* & *Oreſtis*, reliquorúmque ejus furfuris parium, quid aliud dici meretur, quàm veræ & vivæ charitatis umbratile cadaver & ſimulachrum?

Cap. XVIII.

De Magnete, & Chriſto majora per inſtrumentum, quàm immediatè ſuapte virtute efficientibus.

MAgnes ut valdè mirificus, ſic myſticus inprimis lapis eſt; non minùs arcanis operandi

di modis, quàm potentibus operibus insignis; quorum illud ultimũ non est, quòd cùm ipse tractricis, & elevatricis virtutis fons, et sedes sit primaria, totum tamen ejus honorem in ferrum quasi deditâ operâ transferat. Idem enim lapis, qui nudus, & per se parum, aut nihil trahit, ingens pondus ferri ferro armatus elevat. Vidi ipse Magnetem, qui vix uncias septem inermis tolleret, ferro (ut barbari loquuntur) cappatum, viginti duo pondo fortiter, et facilè in altum tollentem; referentem in hoc summum naturæ opificem, primúmq; motorem: qui cùm ipse Pater lucis sit, mundum tamen hunc visibilem per solem illu-

illuminet, ipse in cœlis invisibilis, & (quæ nostra cæcitas & dementia est) inscultus plerisque & illaudatus. Homines etiam per filium hominis redimit, salvat, & judicat, eique vicariam omnem in cœlis, terrisque potestatem delegat, cujus divinitas & majestas in carnis velo, velut in cornu lucerna, sic latuit, ut non nisi suis, iisque paucis per miracula pateret; qui jam etiam sese in cœlis occultans, hominũ ministerio (ut ferri *Magnes*) idonco, & homogeneo utens instrumẽto, homines ad se vocat, trahit, & convertit, in sui honoris societatem ministros assumens. Qui vos (inquit) recipit, is me recipit; imo ampliorem

in eos transmittens: Qui in me credit, majora (inquit) faciet, quàm ego feci. De Christo ipso non legimus eum unâ concione centum; de *Petro* narratur, cum tria millia convertisse: quæ ejus φιλανθρωπία parùm abest, quin omnia ejus cætera miracula superet. Vt enim artis & artificis ars summa est artem celare, ita viri boni prima laus, & virtus est, virtutis laudem seipso celato in alios derivare; neque est, in quo homines ad Deum propiùs possint accedere. Mirentur & laudet in *Joabo* alij alia, me quod attinet, inter omnia ejus præclara facta, hoc heroicum virtutis ejus specimen præcipuum semper censui; quòd

Act. 2.

quòd victoriæ ſuo Marte partæ gloriam, & coronam in *Davidis* caput tranſferre voluerit, & valuerit. In cæteris enim alios, in hoc ſeipſum vicit, quod honorificentius longè fuit, quàm ſi de *Rabbâ* & *Ammonitis* centies triumphâſſet. 2. Sam. 12.

Cap. XIX.

De eo quòd decuplo plus ponderis per binas, quam ſingulos terminos, ſeu cappas trahat.

OBiter autem, nec intempeſtivè moneam, Magnetem eâ lege vim, & virtutem ſuam in medium, & inſtrumentum tranſfundere, ut exiguam ejus portiunculam uni ſigillatim

cappæ, seu termino polari; largam, & amplam conjunctim binis impertiat. Cujus cum experimentum in robusto lapide ceperim, & terminorum alteri ferrum apposuerim, duo vel tria tantùm pondo, idque ægrè sustulit; cum simul utrisque viginti duo nullo negotio in altum evexit: ut non modò verum sit illud *Salomonis*; Duo meliores sunt, quam unus: simul enim si cubent, citiùs concalescunt; si cadunt, eorum alter socium erigit, nec illud tritum modò lippis etiam notum, vim unitam esse fortiorē. Quis enim duplo fortiorem esse non videt, & facilè agnoscit? at decuplo ut fortior sit; hoc & rarū,

Eccl. 4. 9.

&

& in *Magneticis* experimentis singulare clarũ est. Vt non mirum sit (observante *Origine* in *Geneseos* primo) dupla, et compaginata pleráq; Deum feciſſe: ut cùm simul cœlum, et terram; solem, & lunam; marem, & fœminam creâsse in historia memoretur; Christúmq; discipulos suos, non singulos, sed binos emisisse, ut alter alteri, velut pes pedi, manus manui mutuam commodaret operam, & viribus animisq; conjunctis fortiùs & fæliciùs vivos ad Christum lapides traherent, & super eum ædificarent.

CAP.

Cap. XX.

Plus multò valent instrumenta, quæ arctè, quàm quæ laxè Christo vel Magneti adhærent.

NEque silentio prætereundum duxi, ingens illud discrimen inter armaturam polis Magneticis laxè, & remissè ligatam, eandémque aptiùs, & arctiùs ijsdem astrictam. Si enim vel minimus intercedit hiatus, multò minori virtute imbuitur, cassiùs, languidiùs, et inertiùs onus suum trahit; neque dimidium ejus ponderis elevat, cujus totum facillimè, si ad unguem sine levissimâ fissurâ coadunetur: quæ ratio solet à Theologis assignari, quare Chri-

Christi humanitas tam sit supra modum & mensuram omnem oleo Spiritûs inuncta & repleta; eò quòd hypostaticè, & σωματικῶς cum Deitate uniatur: modò scil. & nodo arctiori, quàm à nobis aut concipi, aut exprimi possit. Quare sanctorũ illi tantum apud Deum valuerint, qui indesinentèr cum eo ambulârint, ut *Enochus*; qui indivulsè deo adhęsit, ut *Elizæus Eliæ*, à cujus latere ne latũ unguẽ discesserit. Quare *Sampsonius* tot ediderit miracula, quamdiu fæderis, et unionis suæ cum Deo signaculum illæsum servârit, quo semel per capilli tonsuram læso & amisso, sicut cęteri mortales, imbellis, & hostibus præda fa-

ctus est. Quare denique summum Christiani bonum in hoc ponatur firmiter cum *Davide* Deo suo adhærere, ἀπρόσπαστος προσκολλᾶσθαι, καὶ πάσῃ τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ κυρίῳ *i.e.* inseperabiliter agglutinari, firmóq; cordis proposito in Domino permanere.

Cap. XXI.

Magnes ferro polito meliùs, quàm auro splendido armatur, & Theologorum conciones Scripturæ testimonijs, et solidis rationum momentis, quam Rhetorum flosculis.

ILlud insuper animadversione nostrâ non est indignũ, quòd ut in objecto, sic et in medio seu instrumento, non tam fulgo-

fulgorem, quàm nitorem; non tam splendorem, quàm mundiciem postulat. Nec enim auro, aut argento armari amat, sed ferro tantùm; nec tamen eo fæculẽto, aut rubiginoso, sed purgato, & polito. Qualem armaturam concionatoribus, et præscribit, et suo exemplo cõmendat Apostolus; eam nempe, quæ non in verborum eminentiâ, sed in Spiritus & potentiæ demonstratione consistit. Nec enim Oratorum filij sumus (ut magnus ille Theologus ad *Libanium Rhetorem*) sed piscatorum: neque carnalibus armis contra hæreticos dimicandum, sed argumentis validis ad subversionem turrium, et munitionum;

num; ad eversionem altitudinis omnis extollentis se adversus cognitionem Dei. Quare nec conciones, nec scripta nostra tam poetarũ floſculis, aut Philoſophorum argutiolis, quàm aut ſcripturæ oraculis, aut rationum momentis irrefragabilibus armamus, memores quòd muri *Jerichuntis*, non nubis aureis, aut argenteis, ſed corneis, et arietinis diſſlati & demoliti fuerint. Quę homideo à me dicuntur, ac ſi ſordes & balbutiem, multò minùs *Barbariſmos* et *Solæciſmos* affectet Evãgelium, ſed cum ſermonis nitorem, & claritatem, quam et prȩcepit, & aſſecutus eſt *Lactantius*: ita ut poma ſcripturæ aurea cãdor dictionis

onis includat argenteus : ita ut materiæ soliditatem, et salubritatem, verborum comitetur suavitas ; sitque orationis Theologicæ, vestitus & ornatus non juvenilis, sed senilis, non meretricius, sed matronalis ; non fucatus deniq;, & effæminatus, sed nativus, & masculus. Plures ad se traxit Dominus noster cruce, quàm sceptro armatus, coronâ spineâ, quàm si aureâ fuisset redimitus.

CAP.

Cap. XXII.

Tractionis laus omnis Magneti, non ferro; & operum bonorum Christo, non hominibus debetur.

IN illo exterandæ memoriæ bello, quod olim Ecclesiæ cum *Pelagianis* acerrimum intercessit, quæri sæpe multúq; solet, cui potissimum imputari, & de quo verissimè prædicari debeant, fides, quâ in Deum credimus, & bona, quæ facimus ad ejus gloriam, opera. Num gratiæ in solidum divinæ ascribenda; an libero nostro arbitrio? Vel huic partim, & partim illi, æquâ factâ inter utrúmque partitione? Si enim (inquit *Pelag.*) veræ sunt, quæ

vos

vos de voluntatis nostræ vulgarem & libertate differitis, eam mortuam prorsus & nullam omnino esse, sequitur non hominem esse qui credit, sed Deum; non hominem esse, qui misericordiam, & liberalitatem exercet, qui eleëmosynas largitur, sed Deum: ac proinde non est homini laudis, vel mercedis ne minima quidem inde portiuncula, vel debita, vel expectanda, sed omnia Deo soli in totum ascribenda, cuius præsidio, & adjutorio singula, quæ nos facere videmur, efficiuntur. Atq; hoc illud *Achilleum* erat argumentum, cui neminem respondere posse jactitabant. *Hieronymo* quóque & *Augustino* invidiam

vide Hieron. ad Ctesiphontem.

diam apud imperitos conflare satagebant: quod idem plane est, ac si litem quis inter Magnetem, & ferrum hujusmodi moveret, & foveret, utri horum attrahendi, & elevandi virtus attribui debeat? Ferrúmne an Magnetem trahere propriè dicendum sit? Quòd si penes oculos, & sensus exteriores arbitrium sit, ferro laus omnis cedet. Si enim Magneti pondus appositeris, decidit; si ferreæ armaturæ, tollitur, & retinetur; clamátq; rusticus spectatum admissus, ecce, *Magnes* ignavus est, parùm aut nihil trahit, ferrum est, quod elevat, & attrahit. Verùm enimvero, si ad intellectum, & rationem judicium

dese-

deferatur, *Magneti* iterum virtutis attractricis laus omnis vindicabitur, & asseretur. Concludit enim Philosophus, et doctus arbiter, nihil hîc ferrum suis, et proprijs viribus agere, sed *Magnetici*, & à lapide manantibus: eadémque ratione victus fatebitur, nos a Deo actos divino auxilio omnia, quæ rectè agimus, agere, Deóque fidei, & bonorum operum gratiam, & gloriam omnem acceptam referendam. Quare *Gordius* hic nodus *Herculeo* hoc gladio facilè dissectatur, nisi malit quis contentionis ferram eandem semper reciprocare, & funem litis in infinitum ducere. Quid enim, obsecro, si coram sanâ

mente

mente præditis, *Magnetem* quis cassidè ferreâ armatum, & onus ingens trahentẽ ostendet; nonne in *Magnetem* omnes oculos conjicere? virtutem ejus omnes stupere, & prædicare? de ferro autem silere, et ne gry quidem hiscere? neque id injuriâ. Ferrũ enim, si animal esset ratione, & oratione præditũ, erumperet ipsum libentissimè in *Magnetis* præconiũ; libentissimè palàm profiteretur, se non suâ, & innatâ virtute valere, & potentem esse, sed alienâ, & a *Magnete* haustâ, & infusâ. Non aliter, quàm luna non suis, sed solaribus radijs splendore sese agnoscit; Quàm fœmina mariti sui dignitate illustratur. Vnde est,

quòd

quòd Apoſtoli, cùm claudum præ templi foribus ſanâſſent, applauſum omnem popularem tantopere repudiârint, dicentes, Viri *Iſraelitæ*, quid de hac re miramini? aut quid intentos in nos oculos habetis, quaſi propriâ potentiâ, aut pietate effecerimus, ut hic ambulet? Deus ille *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Iacobi*, Deus ille patrũ noſtrorum filium ſuum *Ieſum* glorificavit. Nec minùs cautè, et prudenter *Paulus*, *Non ego*, *inquit*, *ſed Chriſtus in me potens fuit*, *cujus gratiâ ſum*, *quod ſum*. *Quis Paulus? quis Apollo? quis Cephas?* niſi inſtrumenta et miniſtri Dei, per quos credidiſtis, unuſquiſque, prout ei dedit 1. Cor. 3.

Dominus? *Ego plantavi, Apollo rigavit*; *sed Deus est, qui dat incrementum*; *qui plantat, nihil est.* Vinea *Salomonis* est; locat autem vineam suam hortulanis, & custodibus: Milleni sicli *Salomonis* sunt, ducenti custodientium fructum ejus.

Cap. XXIII.

Ferrum in se vile Magnetico conjugio nobilitatur, & nos homunciones spirituali cum Christo unione.

SCatent ubique terrarum ferri venæ; patent in omni villâ, & vico ferri officinæ. Servit id infinitis hominum usibus; sed ijs vilibus, & obscuris. Fiunt ex eo omnimoda instrumenta,

menta, sed ignobilia, qualia sunt equorum soleæ, claves, seræ, clavi, ferræ, ligones, vomeres. Vt taceam balistas, bombardas, sclopetos, & id genus hominum pestes. Honos omnis, & dignitas ferro à Magnete oritur, & crescit; qui quidem plùs ferro nobilitatis confert, quàm auro Rex ille Ægyptius, cùm è matulâ Deorum effigies conflavit, quas proceres suos colere coegit. A Magnete enim excitum, fando vix exprimi potest, quot, & quanta afferat humano generi emolumenta: ut vani sint in hoc Chymici, cùm somniant, velle naturam metalla cætera in aurum mutando perficere. Quis enim non perspicit, debere nos

multò plus acubus nauticis, & horologicis, quàm quicquid uſpiam eſt, auro, & lapidibus pretioſis; utpote cujus ope, & beneficio hæc omnia, & reliquas omnigenas merces conquiramus? Ita ut minimè mirum nobis videri debeat, quòd ferrum tam honorificum cum Magnete connubium tantopere appetat, & ambiat, ut ad eum conſpectum tam præpropero curſu advolet: cujus nimirum copula & coadunatione tam mirificum & Herculeum evadat. Ecquis autem tam ſtipes & fungus eſt, cui hæc contuenti, & contemplanti non in mentem veniat priſtini & miſerrimi illius, in quo nati ſumus, ſtatûs, & conditionis

ditionis triſtis recordatio, in quo iræ ſcilicet, & ignominiæ vaſa; mundi, Satanæ, & cupiditatum turpium mancipia fuimus: quorum Deus venter, gloria dedecus, exitus confuſio? E - quis tam pumex & ſilex, qui ſibi à lachrymis temperet, cùm in animum revocet, quàm ad omnia officia Deo, & hominibus debita inutilis fuerit, præterquam ad fruges conſumendas, horas bonas malè locandas, carnis concupiſcentias implendas, ad iram in diem iræ theſaurizandum? Ecquis autem tam gelu, & glacies, ut cùm ſeriò, et ſerò nimis hæc ſecum cogitet, et penſitet, non ardeat, et flagret totus, cœleſtis illius cum

Christo conjugij desiderio, quo Dei filius, Christi cohæres, cœli civis, et municeps esse, et dici mereatur? Ecqua anima tam bēluina et terræ filia est, ut carne et sanguine adhuc volutare malit, quàm spritûs sancti afflatu ad cælestia erigi, et attolli, ad munera spiritualia, et Angelica obeunda agilis, et idonea reddi, quibus et se, et alios servare possit, et ad opera ea præstanda, quibus salutem æternam, et cælorum regnum consequi valeat? Ecquis ad hæc tam surdus, et contumax est, ut portas suas immortales non aperiat, per quas intrat Rex ille vitæ, et gloriæ, cujus ingressu, et incolatu, ad divina, et heroica, omnia

munia

munia peragenda animari, et corroborari posit?

Cap. XXIV.

Magnetis cum gemmis collatio, quod vires & formam attinet.

Est auro solaris suus fulgor, argento lunaris splendor, æri & cupro flavedo venusta, stanno & plumbo *Mercurialis* nitor, Margaritis candor, & lævor illustris, Adamanti scintillans & micans claritas, cæterisque lapidibus pretiosis gratus & lucidus cuique color, quibus aspicientium occulos ad se alliciunt, & fascinant; Magneti autem ferrugineus, lividus, *Saturnius*,

turnius, & obſcurus quidam aſpectus, quem tamen mirâ, & intrinſecâ virtute ditavit, & dotavit naturæ Dominus: illis interim externam ſuam ſpeciem ſufficere voluit, quam præter, nihil illis donavit, quo pretium aut honorem ſibi apud homines concilient. Et eſt certè pulcherimus hic ordo, et lex æquiſſima, quam in donis ſuis diſtribuendis conſtanter obſervandam ſibi propoſuit; dum nulli vel omnia, vel plura cumulatim confert, ſed ſingula ſingulis ita diviſim impertit, ut habeant ſingula ſingulare aliquid in quo emineant ſine cæterorum vel injuriâ, vel invidiâ. Præclarum hujus œconomiæ exemplar

plar et ſpecimen animadvertas licet, tam in lapidibus, quàm in hominibus. In utríſque enim rariſsima eſt externæ formæ, & internæ virtutis copula, & concordia: difficilimum eidem pulchritudinem, & fortitudinem ineſſe; corporis robore eundem, et animi prudentiâ excellere. Eſt autem forma, et ſplendor hujuſmodi bonum, quod non latet, ſed ſtatim foris patet, ſeſeque oculis conſpicientium oſtentat: prudentia autem, et fortitudo non niſi actis, et exercitijs multis ſeſe produnt, et demonſtrant. Plurimos in hiſtorijs reperies formâ præſtantes, ob nullum egregium facinus celebres: emollit enim

enim poſſeſſores ſuos, otiari et deliciari ſuadet, ut nullius alterius gloriæ indigos. Erat è contra Dominus noſter vir dolorum, infirmitatem expertus, néque ſpecies, néque decor ei inerat, unde eum deſideremus; vermis, et non homo, nullificamen populi. Quod autem ad ſpiritûs plenitudinem attinet, Specioſus præ filijs hominum; ſuper quem ſapientiæ, et conſilij ſpiritus requievit, in quo omnes theſauri, ſapientiæ, qui unguentorũ ſuorum odore omnes ad ſe allexit, et traxit: quem nos ſequẽtes, formam habentes negligamus, non habentes ne doleamus, aut habentibus invideamus, internis virtutibus gloriemur,

Tertul: de reſurrect.

riemur, et operibus bonis, serico probitatis nosmet vestiamus, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter ornati, et pigmentati Deum habebimus amatorem, Sanctos imitatores, Angelos spectatores, et laudatores. *Tertul: de cultu fœminarum.*

Cap. XXV.

In parvis Magnetibus & Christianis, quàm in magnis grandior esse solet Deus.

Magnes Magneti tãtùm interest, quantu & homo homini. Prima differentia est à vigore, ex quo quidam mares, alij fœminæ. Secunda à mole, unde quidam gigantes, alij nani. Sunt quidam

quidam mole magni, virtute imbelles, qui ſibi pondus æquale vix, & ægrè attollunt, exigui et parvuli avellaneę nucis quantitatem non excedentes, qui ſuum pondus ſexagies, imo centies multiplicatum attollunt. Grandior enim ſolet eſſe Deus in parvulis, quàm in magnis. In formicis major anima, quàm in elephantis; in nanis, quàm in gigantibus. Si magnus aliquis daretur Magnes, qui ſuum pondus quinquagies multiplicatum elevarat, periculum eſſet, ne Idoli inſtar adoraretur. Inter pauperes, facultatibus, & viribus tenues, multos videre eſt pietate, & ſanctitate eximios, & inſignes, cujuſmodi ſi

inter

inter ſeculi hujus nobiles, doctos, & potentes, quis occurreret, nigri cygni ſimilimus eſſet, & metuendum, ne pro numine & ſemi-deo à plebe coleretur. Tria autem ſunt indicia manifeſta, quibus lapides validiores, & vivaciores ab imbellibus, & ignavis diſcriminantur. Primùm, quòd opus ſuum expeditiùs abſolvunt, ocyùs ſe verſus polos convertunt, fortiùs trahunt, ægriùs dimittunt. Secundò, quòd onera graviora faciliùs tollant, clavos plures, & annulos ſuſtineant. Tertiò, quòd ampliorem habeant activitatis ſuæ ſphæram, ad objectum remotius, & diſtantiùs vires ſuas extendant. Totidem planè notę

& ſigna ſunt, quibus Chriſtiani nobiles, & heroici à tepidis, & vulgaribus dignoſcũtur. Quòd ad bona opera alacriores, et agiliores; neque arcam, ut vacculæ, gemebundi trahant. Secundò, quòd crucem, et tentationes graviores fortiùs ſuſtineant, *Sampſonis* inſtar, qui portas æneas humeris ſuis nullo negotio ſuſtulit. Quòd denique non unum, aut alterum, aut paucos, ſed plures ad Chriſtum animas lucrari et trahere ſatagant. Sic enim de *Barnabâ* memoratur, bonum eum virum fuiſſe, & multos ejus operâ ad Deum converſos.

Cap. XXVI.

In minimis Magnetibus omnes reperiuntur circuli, licet non eadem amplitudine: in minimis Christianis omnes gratiarum habitus, etsi non gradus.

MAgnes autem robustus, etsi *Magnetem* imbellem multis parasangis virtute superet: in hoc tamen omnes tam validi, quàm invalidi cõveniunt, quòd in singulis duo termini polares, totidem circuli *Tropici*, *Æquinoctialis* unus, ut in cœli, terræque globis, conspiciantur: ita ut si magnum aliquem *Magnetem* in mille frusta dissecueris, nullũ eorum tam exiguum erit, in quo non omnes prænotatos Ma-

Mathematicos circulos deprehendes: quemadmodum néq; vllus Christianus tam modicæ fidei, & tam mediocris staturæ est, qui a Christi plenitudine gratiam pro gratia non acceperit; etsi non omnes eandem singularum mensuram, & gradum, eundem tamen omnes numerum, idem omnes virtutum omnium παντοσεμάτιον: non secùs, quàm in unius diei infantulo parentum & membra, & lineamenta singula clarè cernuntur.

CAP.

Cap. XXVI.

Magnes Magnetem congruè juxta se positum juvat, incongruè ladit. Idem accidit in hominum commercijs tam bónis, quàm malis.

SI mille silices in unum cumulum coacervaveris, nihil omnino vel damni, vel commodi capiet alter ab altero silex à silice: diversa longè *Magnetum* ratio est, quorum unum si juxta alterum locaveris, vel si plures promiscuè in unum acervũ conjeceris, vel detrimenti, & vitij aliquid, vel virtutis & emolumenti haurit, necesse est, vicinus à vicino.

Si enim juxta leges *Magneticas*, & in terminis naturæ suæ

congruis conveniant, ita ut *Auſtrale* punctum juxta alterius *Septentrionale* diſponatur, attrahetur, recreabitur, & corroborabitur imbecillis à robuſto; ſi contrarijs, & incongruis, fugabitur, & infirmabitur. Simile quid in hominum amicitijs, & ſocietatibus obtingit; ubi boni ſemper aliquid ob vicinum bonum, & mali ob malum accidit. Corrumpunt enim bonos mores prava commercia; corrigunt, & confirmant bona: vitij aliquid ſcelerati affricant, virtutis aliquid infundunt probi & ſtudioſi. *Ægyptios* et *Iſraelitas* in deſerto iter facientes media interceſsit nubecula columnæ in formã, cujus poſterius latus ni-

nigrum, & caliginosum sequebantur *Ægyptij*; anterius verò lucidum, & candidum aspiciebant *Israelitæ*. Quicquid in nobis maculosi est, & vituperio digni, id imitantur, qui filij sunt tenebrarū; splendidi quicquid, & laude digni, id ij, qui lucis filij, & qui spiritu Dei aguntur.

Quare non modò cavendum nobis est, quibuscum versamur, sed quibus legibus, & conditionibus non sine magno cum delectu, & accuratâ circumspectione; nisi morum corruptelam inde pati velimus perniciosam.

Cap. XXVIII.

Vt Polis Magneticis in diversis regionibus, sic viris bonis & malis in diversis sæculis suum regnum est.

TAntũ polis *Magneticis* quãtum manibus dextræ et siniſtræ intereſt: in diverſis enim telluris regionibus, diviſum ſortiuntur imperium. In *Borealibus* enim mundi partibus diſcrimẽ termini *Borealis* manifeſtum eſt, quod majorem ferri obelum attollit, quam poteſt in iiſdem *Auſtralis* ejuſdem polus.

Prævalet in hoc mundo caro ſpiritui; corpus hîc animam degravat; Dominantur in hoc ſæculo filij *Belial*: aſsignatur enim cuique à Deo ſuus locus, ſuum tempus, ſuum regnum.

Cap.

Cap. XXIX.

Eodem modo Christus aream suam, quo mensas aurifabri, accuratè purgat.

ADmirabili artificio mensas suas purgant aurifabri, in quibus ferrei pulviſculi paſsim cũ aureis miſcentur, qui à limis, et malleis inter poliendum decidunt; *Magnetem* enim robuſtum manu ſuper menſam ad digiti diſtantiam circumgeſtant, qui ferri ramuſculos ab aureis accuratè ſine damno ullo ſegregat, dum aureis præteritis, et relictis ferreos arripit; Eodem planè modo ſuam aream in illo die perpurgabit Dominus. Cùm enim duo ſimul in eodem lecto

fuerint, accipietur unus, relinquetur alter: cùm duo simul in eodem pistrino molentes, assumetur unus, relinquetur alter: novit enim Dominus, qui sunt sui, & hædos ab ovibus distinguet, paleam à tritico ventilabit. Neque magis mirum, aut arduũ nobis videri debet, quòd singula defunctorũ membra, et particulæ proprium suum corpus repetant, quàm, quòd apiculæ singulæ suas in alveari cellas, & agniculi singuli suas in grege matres distinctè agnoscant, ferrique singula ramenta *Magnetem* versus advolent.

CAP.

Cap. XXX.

Et Magnes & Christus unà cum virtute gravitatem suis impertiunt.

NEque pigeat nos hoc obiter anotare, quòd unà cum supra-notatis virtutibus, ferro etiam ponderositatẽ quandam indat, & infundat *Magnes*. Acûs enim terminus ille, qui tactus, & excitus est, intacto apertè præponderat, & terram versus fertur. Neq; aliter Christus gratijs illis, quibus suos imbuit, gravitatem superaddit, quę certè animæ humanæ, non minùs, quàm navi saburra, utilis est, & necessaria. Gravitas autem etsi inter virtutes à Philosophis non numeretur; est tamen

eorum omnium & ornamentum, et munimentum. Est autē vir gravis is, qui propositi sui tenax, instituto suo (ut basi statua) innititur, & semper eidem insistit: neç (ut leviculi, & vani) quavis aurâ popularî, vel novâ quavis doctrinâ, & exemplo circumfertur, & in novas formas mutatur.

Cap. XXXI.

Magnes à cœlestibus polis telluris amore deviat, ut & nos à veritate divinâ hominum authoritate moti deflectimus.

VBicunque gentium libero & nativo motu fruitur *Magnes*, rectà ibi polos utroſq; tam

tam *Borealem*, quàm *Australem* respicit, nec à vero meridiano quicquam discedit: contingit autem multis in terræ, marisq; locis, ut in punctum aliquod Horizontis vero Meridiano finitimum, & à punctis polaribus, in punctum ad ortum, & occasum gradibus quibusdam diversum deflectat, & deviet; quæ anomalia nautis variatio dicitur. Oritur autem, & causatur à magnis, altis, & robustis terræ continentibus, ad quas *Magnes* inclinat, dum ad matris suæ telluris partes eminentes se convertit, & polos cæleſtes ob earum amorem deserit. Quæ variatio molestissimã parit nautis incertitudinem, non ei dissimilem,

simile, quæ pastoribus & gregi Christiano accidit in *Theologia* controversijs discutiendis, et dijudicandis. In quibus quamdiu scripturæ regulam observant, nec ab immoto Prophetarum & Apostolorum fundamento, canonéq; infallibili dimoventur, veritatem tamdiu et unitatem in pace ecclesiæ retinent. Quã primùm vero in partium studia scindũtur, et huic, vel illi virorum doctorum, authoritate et scientiâ pollentium, cætui, et sectæ se adjungunt, eorũ suffragijs et sententijs plus tribuunt, quàm indubitatis Dei oraculis. Hinc tot in Ecclesia schismata, hæreses, & bella plùs quàm civilia. Quibus malis nullum aliud reme-

medium excogitari poteſt, aut
ptari melius, quàm ut Chriſti
ocem in ſcripturis loquentem,
eram, & vivam fidei, & vitæ,
norum, & doctrinæ normam,
& dubiorum omnium judicem
upremum admitterent: ſecun-
lum quam regulam incedentes,
Pax erit ſuper Iſraelem Dei.

Cap. XXXII.

Hallucinantur homines in lapidum, et rerum æſtimatione; dum non ex uſu, ſed ex ſpecie pretium ijs imponant.

SI vera ſint illa, quę de rerum cenſu ſenſit *Romanus* ille Cenſor, Aſſem contra charum eſſe, quod humano generi non proſit; vile eſſe, quicquid eſt inutile;

utile,& pretij nullius,quod nu
lius usûs, tum certè summæ v
nitatis rei sint illi,& iniqui re
æstimatores, qui patrimonior
& amplarum possessionum j
cturâ gemmas et lapides preti
los sibi comparant,qui nihil i
solidi emolumenti conferun
nihil ijs prodesse possunt,nisi a
splendorem superfluum, & cu
tum externũ, unde nec corpor
nec animæ quicquam acced
commodi,cùm interim *Magne*
tem flocci faciunt, et teruntij æ
stiment tot virtutibus insigni
tum, tot usibus, à natura desti
natum, & tot necessitatibus hu
manis inservientem. *Raymundo*
verò si fidem adhibeamvs, Dei
solius est, qui ad intra crescere

non

bi poteſt, quíque interno aug-
ento, & complemento non
digeat; æſtimationem in ho-
inum cordibus, nomen, et be-
edictionem in linguis eorum;
onorem denique, & gloriam
d extra quærere: hominem
utem, qui internâ perfectione,
& bonorũ realium incremento
olummodo egeat, quo magis
honorem quærat eum, qui in
aliorum pectoribus ſitus eſt; eò
magis vanitatem, inanitatem, et
vacuitatem perſequi; eóque mi-
ſeriorem, pauperiorem, & a ſo-
lidâ perfectione, & beatitudine
remotiorem eſſe. Quæ ſi ad ve-
ritatis amuſsim examinentur,
etſi nimis rigida, & Cynicum,
vel Stoicum rigorem ſapere vi-
dean-

deantur (licet enim & homi
bus à Deo conceſſum eſt,
quæ ad ornatum ſpectant, m
derate quærere) tantam tame
& tam ingentem pecuniæ v
in ijs comparandis profunde
tam immenſum ijs pretij exc
ſum imponere, ſpretis & co
temptis ijs, quæ majori ſunt
ſui, & pluribus dotibus dita
non video, quin extremæ ſ
ſtultitiæ, ne dicam dementiæ.

CAP. XXXIII.

*De amulatione Magnetica, & Chri
ſtiana.*

NVſquam in vegetativis aut
ſenſitivis, vix in ratione pre
ditis tam aperta vel concordia,

vel

vel diſcordia ; nuſquam tam acris, & ἄσπονδος æmulatio, quàm in *Magneticis*, quæ polare punctum tam avidè appetunt, eóq; ſolo in ſolidum frui, rivalium in morem, ambiunt, ut ejus gratiâ miras inter ſeſe & amicitias, & inimicitias exerceant. Si enim duo fila ferrea oblonga, & acuta telluris aut terrellæ polis ſuperimpendas, ſtatim in imis ſuis terminis concurrunt, & concordant; in ſummis invicem ſeſe fugiunt, & fugant; ſin brevia, et obtuſa fuerint, in imis averſantur ſeſe mutuò, in ſummis oſculantur, et amplexantur. Simile contentionis pómum eſt avaris lucellum, ob quod figulus figulum odit; laſcivis proſtibulum,

ſtibulum, ob quod mutuis ſeſe vulneribus confodiunt ἀλάζονες; Ambitioſis primatus, & principum favor, ob quem dolis, & venenis certant aulici: Chriſtiani verò, Chriſto ut fruantur, Chriſto ut ſerviant, et placeant, in hoc omnem ſuam φιλοτιμίαν, φιλησονίαν, & φιλαργυρίαν conſumunt. Accepto de Chriſti reſurrectione nuntio curſu inter ſe contendunt, et ſimul excurrunt *Petrus* et *Johannes*: antevertit autem *Petrum*, et prior ad monumentum venit dilectus ille diſcipulus, qui nomine ſuo modeſtè celato hiſtoriam æmulationis hujus deſcripſit. Similis παροξυσμὸς ſimilē fortaſſe ob cauſam *Paulo* cum *Barnaba* inter-

Ioh: 21.3.

ceſsit

cessit. —Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. *Jacobus* ut benedictionem & primogenituram *Esavo* præriperet, eum arte suâ & ope maternâ supplantavit.

Cap. XXXIV.

Pugnant inter sese contrarij Magnetis termini, non secùs quàm caro et spiritus, & mutuò sese è subjectis suis expellunt.

SEptentrionali *Magnetis* termino si quis cultellum affricuerit, virtutẽ inde *Magneticam* imbibit, quâ ferrum & attrahit, & elevat; eundem si contrario & Australi apposuerit, virtute priùs aquisitâ spoliatur, et vertigine afficitur, ita ut ferrum, nec

attrahat, nec elevet cultellus. Idem accidit ijs, qui eorum vitia imitantur, quorum mores admirantur. Idem etiam ijs, qui poſtquam concionem in eccleſiâ attentè audiêrint, preces ardentèr effuderint, bonos inde motus aliquos, & intentiones concipientes priorem vitæ curſum mutare, ad frugem redire inſtituunt; in impiorum conſortium incidentes, in lùpanar, aut popinam ingredientes, mox ut canes ad vomitum, ut ſues ad volutabrum revertuntur. Perinde ac ſi quis cibo ſalubri accepto venenum continuò bibat, aut cicutam comedat; vel in balneo lotus in cæno ſe volutet. Quorum exitus initio deterior;

in

in ſpiritu incipientes in carne definunt. Aufert enim ijs malignus ille verbi ſemen ſalutare, quod nunquam in ijs radices altas egerat; & virus ſuum letale infundit, quo reddit eos ad omne bonum opus ineptos, & reprobos.

Cap. XXXV.

Quod acus inter duos Magnetes, id inter duas opiniones fluctuans.

Circumcellionibus illis, qui artem præſtigiatoriam exercent, quíque ludos joculares, & ſpectacula venalia populo exhibent, familiare eſt acum ferream in lebete fluctuantem ſic inter duos *Magnetes*, quos

manibus abditos circumgestãt, disponere; ut incerta inter utrumque discurrat, nunc hunc attrahentem, nunc illum retrahentem insequatur, ad neutrum appellat, neutri adhæreat. Similes sibi ludos, similia mundo spectacula edit diabolus, dum viros illos, quos Apostolus Cypr. Ep. 2. διψύχους appellat, *Cyprianus* ancipites palpatores temporum, in levitate tantum constantes, molendini instar quovis doctrinæ vento circumagitat; quales olim *Ecebolius*, nuper *Spalatensis*, alijq; quorum nominibus parco; qui inter cælum, terramque penduli, inter Deum, & *Baalem* claudicantes, nunc Deo, nunc *Mammoni* serviunt, nunc præsens,

sens, nunc futurum seculum amplectuntur, nec Deo, neq; hominibus accepti; quos *Carpenterius* cani famelico assimilat inter duos lepores, vel inter duo convivia nunc hâc, nunc illâc cursitanti, neutrum assequenti.

Cap. XXXVI.

Ejusdem amoris tam in Christo, quàm in Magnete contrarij effectus.

MAgnes ex humilitate & amore totus componitur, merum amorẽ spirat, fellis omnis expers, ad usum, & commodum humani generis creatus, nulli damnum, nulli detrimentum afferens; quòd si quã-

dò ferrum à ſe fugare, & repellere videtur, nulla id ſuperbiâ facit, nullo odio inductus, ſed eo tantùm fine abigit, ut meliùs affectum, & terminis congruis diſpoſitum per ambages quaſdam ad ſe revocet, & reducat. Non ſecus, quàm Dominus noſter, qui totus, & ſolus bonus; totus, quantuſcunque, Amor, & Bonitas, in ſalutem humani generis natus, omnes ad ſe allexit, neminem ad ſe venientem foras abjecit. *Canaa* nitidi repulſam dedit, ut canem increpavit, non alio animo, quàm ut enixiùs ei ſupplicaret, ardentiùs advolaret; & arctiùs adhæreret; eóque ſuos animo redarguit, ne puniat; mina-

minatur, ne feriat; judicat in hoc ſeculo, ne condemnet in altero.

Cap. XXXVII.

Eadem ratio eſt animæ regenitæ, quæ acus Magneticæ; irregenitæque, ferreæ.

Acus merè ferrea, et à *Magnete* intacta, omnes mundi plagas æqualitèr reſpicit, æqualitèr in omnibus, prout accidit, acquieſcit. Quòd ſi polos aliquando reſpexerit, eoſq; verſum acquieverit, fortuitò id fit, & ex mero caſu, nullo vel naturæ inſtinctu, vel proprio momento. Tacta verò et à *Magnete* ſemel imprægnata ſemper et ſolum-

modò polos versum tendit. Nec aliorsum, nisi telluris amore victa, vel externâ vi coacta, deflectit. Haud aliter Anima purè naturalis et irregenita, ad malos & peccaminosos actus prona semper et proclivis est. Quòd si forte opus aliquod materialiter bonum egerit; nullo id ex proposito, nedum ex habitu facit: sed fortè (ut dici solet) fortunâ, et cæco impetu, quali visûs et artis expers corvum aut metam jaculo ferit. Eadem inspirata, à Deo docta & acta, actus suos omnes secundum virtutis præcepta, & verbi divini canonem, ad Dei gloriam constantèr dirigit. A quo scopo si per infirmitatem, fortis alicujus tentationis vi, ab-

aberraverit; fit id omninò præter intentionem & contra voluntatis institutum: Vnde est quòd carnalium & merè civilium opera, licet extrinsecùs splendida & speciosa, parùm Deo grata sunt: Sanctorum autem licèt imperfecta & maculosa, non veniam modò, sed et gratiam, Christi causâ, in oculis ejus inveniunt, potiùs quàm merentur; qui opera eorum non tam actibus quàm finibus pensare solitus est.

CAP.

Cap. XXXVIII.

De Magnetum & Christianorum tam vilitate quàm raritate: deq; locis eorum natalibus.

MAgnetum ubique magna est hodiè copia, ita ut contemptum pepererit nimia eorum familiaritas, apud vulgus, cui nihil pretiosum nisi quod rarum. Nulla ferè regio, nulla ferri fodina, in quâ non reperiantur Magnetes; Magnetes scilicet vulgares, notæ nullius, nullarum virium: eximij, nobiles, et robusti perpauciſimi. Hominum ubiq; abundè satis; Heroum, doctorum, et sapientum parùm. Christianorum nomine et titulo tenus, vilis est annona

annona; verè autem fidelium et qui titulo tanto dignos se præstent, Magna ubiq; cairtas et raritas.

De loco & regione si quis inquirat in quâ Magnetes generosissimi nascantur; Tulit olim celeberrimos *Magnesia*, cui nomen suum acceptum referunt, ubi vel nulli vel steriles hodiè reperiuntur. Vulgares ex *Elbâ*, et *Norvegiâ*; validissimi è *Bengalâ*, *Chinâ*, et ex locis calidioribus ad nos advehuntur. Certissimum autem est, nullam certam gentem aut terram esse, quæ hoc privilegio perpetuò gaudeat: Verùm prout Naturæ collibitum est, nunc hanc, nunc illam, hac sorte beare. Non se-

cùs

cùs quàm olim in *Antiochiâ*, nomen & ſedem primi ſortiti ſunt Chriſtiani; in *Beræâ*, nobiliſsimi. Nuper *Anglia* tam Sanctorum quàm Doctorum inſula feraciſsima cluit, & mater fæliciſsima: Non aliâ tamen lege quàm ut Deo liberum ſit, nunc iſtam, nunc illam Eccleſiam hac inſigni prærogativâ cohoneſtare.

Cap. XXXIX.

Cauſas rerum abditarum incaßùm, ſubtilitèr, & inutilitèr; effectus & uſus faciliùs & fæliciùs exquirimus; tam Theologi, quàm Philoſophi.

DE cauſis & rationibus mirorum & myſticorum

Magnetis

Magnetis effectuum, quòd nullam hactenus in medium protulerim sententiam, si quis rationem exigat; in causâ sciat esse, quòd certam & determinatam rationem eorum assignare, *Boetio*, alijsque, non modò difficilimum, sed & impossible prorsus videtur. Multa in sinu & gremio Majestatis suæ latere voluit natura, quæ mentis humanæ rationem consequi noluit; quæ miranda, potiùs quàm rimanda reliquit. Non desunt tamen qui tractionis Magneticæ συμπάθειαν, *i. e.* affinitatem quandam cum ferro, rationem satis claram & sufficientem autumant. Alij ἀσωμάτους καὶ πνευματώδεις, incoporeos & spirituales *Clement.* *Plutarch.*

tuales quaſdam evaporationes et effluxus ut cauſam deſignant. Confugiunt plerique ad commune Philoſophorum aſylum, Galenum. ἀδηλον ἰδιότητα, *i. e.* occultam qualitatem à ſpiritu lapidifico *Magneti* ingenitam. Verùm nos in cauſis rerum, non ut noctuæ lippimus ſolùm, ſed ut talpæ prorsùs cæcutimus; in ijſque ſubtilitèr indagandis operam & oleum perdimus, fruſtráque ingeniorũ lacertos delaſſamus. Quanto infructuoſiùs & inauſpicatiùs in altiſsimis, tam electionis divinæ, quàm vocationis humanæ, cauſis inveſtigandis et reddendis, horas et operas ſuas locarunt Scholaſtici; dum vel fidei, vel operum præviſionem,

visionem, vel aliud omnino aliquid extra Deum, decreti divini, aut discriminations humanæ, rationem excogitant. Reservanda et relinquenda sunt Deo imperij sui arcana, qui suos haud impunè patitur in secretorum suorum arcam curiosiùs introspicere. Superbiam et stultitiam hanc luerunt olim *Bethshhemitæ*. Βάθος & abyssus quædam est immensurabilis & impenetrabilis. Mysteria quædam Dei sunt ἀνεξερεύνητα καὶ ἀνεξιχνίαστα quæ si nobis revelasset, essent fortasis ἄρρητα καὶ ἀπόρρητα, minimè propalanda & promulganda. Meliori cum laude, majori cum utilitate ingeniorum suorum nervos, in ijs quæ ad praxin & usum

usum vitæ humanæ, quæque ad electionem & vocationem nostram confirmandam pertinet, impensiùs & intensiùs exercerent. In arborem frugiferam si quis incidit nec terram defodit, nec radices denudat, sed fructus oculis hiantibus intuetur, & manibus avidis decerpit. *Adamo* & soboli ejus cessisset in perniciem minùs, & magis in salutem, si arboris vitæ fructus comedisset, arboris scientiæ poma non omninò degustasset.

CAP.

Cap. XL.

De mendacijs & abusibus, quibus & Magnetes, & res, & viri magni sunt obnoxij.

HActenus in varijs & præclaris Magnetis usibus recensendis immoratus sum; paucis deinceps abusus ejus perstringam, necnon fabulas, quæ per ora virûm volitantes fidem aliquam apud vulgus credulum nactæ sunt. Qualis illa imprimis est de arcâ *Mahometi* ferreâ in aëre pensili, in sacello *Magnetibus* camerato, quod falsum esse constanter affirmant, qui *Mecham* usque peregrinantur? Quam ex affini fabellâ natam auguror, quam refert *Plinius*

de architecto *Dinocrate*, qui templum *Arsinoes Alexandriæ* Magnetibus concamerare inchoaverat, ut ejus simulachrum in aëre pendere videretur: intercessit autem mors & ejus, & *Ptolomæi*, qui id sorori suæ jusserat fieri. Cujus farinæ sunt illa commenta *Serapionis*, seras eum, & clavaturas aperire, naves in medio cursu sistere, clavos ex ijs extrahere: necnon illud *Arnoldi* de villâ novâ, *Dæmones* eum fugare, illud insuper *Marvodæi Galli* philtrum esse amoris optimum, & uxores maritis, maritos uxoribus reconciliari; cui auctarium hoc addit commentator ejus *Victorius*, gratos principibus & eloquentes

quentes eum facere poſſeſſores ſuos. *Agyrtis* autem, & medicaſtris ſolenne eſt, virtutum, & effectorum ejus prętextu fidem, & æſtimationem emplaſtro illi emendicare, quod *Armarium*, ſympatheticũ, & ſtellatum vocant, vulgò *Weapon-ſalve*. Fabularum etiam nobile par effinxit *Famianus Strada* omnium ſtylorum vir, ingenij, & ſtyli (credo) exercendi gratiâ: quas, quia lepidæ, breves, & facetæ ſunt, non pigebit integras deſcribere. Quarum prima eſt ad *Lucretiani* carminis legem de novâ epiſtolas ad amicos ſcribendi ratione expeditiſsimâ, ſine tabellarijs, & tabellis, ſola *Magnetis* ope, hunc in modum.

Magnesi genus est lapidis mirabile, cui si
Corpora ferri plura, stilósve admoveris, inde
Nō modō vim, motūq; trahunt, quo semper adur-
Quæ lucet vicina polo, se vertere tentent: (sam,
Verùm etiam mirâ inter se ratione, modóque,
Quotquot eum lapidem tetigere styli, simul omnes
Conspirare situm, motumq; videbis in unum.
Vt si fortè ex his aliquis Romæ moveatur
Alter ad hunc motum, quamvis sit dissitus longè,
Arcano se naturaï fœdere vertat.

Ergo age, si quid scire voles, qui distat, amicū
Ad quem nulla accedere possit epistola; sumes
Planū orbem, patulumq;, notas elementaq; prima
Ordine, quo discunt pueri, describe per oras
Extremas orbis, medioq; repone jacentem,
Qui tetigit Magneta, stylum; ut versatilis inde
Litterulam quamcunque velis, contingere possit.
Hujus ad exemplum simili fabricaveris orbem
Margine descriptum, munitumq; indice ferri,
Ferri, quòd motum Magnete accepit ab illo.
Hunc orbem discessurus sibi portet amicus,
Conveniatq; priùs, quo tempore, queisve diebus
Exploret, stylus an trepidet, quidve indice signet.
His ita compositis, si clàm cupis alloqui amicum
Quem procul à tete terraï distinet ora;
Orbi adjunge manum, ferrum versatile tracta,

Hîc

Hîc dispoſita vides elementa in margine toto;
Queis opus eſt ad verba notis, huc dirige ferrum,
Litterulaſq́, modò hãc, modò et illã cuſpide tange,
Dum ferrum per eas iterumq́, iterúmq; rotando
Componas ſingillatim ſenſa omnia mentis.
Mira fides, longè qui diſtat, cernit amicus
Nullius impulſu trepidare volubile ferrum,
Nunc huc, nunc illuc diſcurrere: conſcius hæret,
Obſervátque ſtyli ductum, ſequiturq́ legendo
Hinc, atq; hinc elementa, quibus in verba coactis,
Quid ſit opus ſentit, ferroq́ interprete diſcit.
Quinetiam cum ſtare ſtylum videt ipſe vicißim
Si quæ reſpondenda putet, ſimili ratione
Litterulis variè tactis reſcribit amico.
O vtinam hæc ratio ſcribendi prodeat uſu;
Cautior, & citior properaret Epiſtola, nullas
Latronum verita inſidias, fluvioſq́ morantes.
Ipſe ſuis Princeps manibus ſibi conficeret rem,
Nos ſoboles ſcribarum emerſi ex æquore nigro.

Hanc ſequitur altera de Chryſo Magnete non ferrum, ſed aurum trahente ad linguã, & mentem *Ovidianam* ficta & ſcripta.

Fortè mihi puero putei ſuper ore ſedenti
Annulus exciderat, nec erat ſpes ulla legendi.
Cùm pater è filo lapidem demittit in undas

Prædatorem auri; ſubitoq́ excitus ab imo
Annulus accurrit fundo, lapidíque cohærens,
Tanquam hamo piſcis, ſummas eſſertur in auras.
Talia mirantem pater occupat: accipe cauſam,
Nate, ait, & lapidem (non longa eſt fabula) noſce.
Deucalion, & Pyrrha (*genus mortale duobus*
In quibus omne fuit, quondã et duo turba fuerunt)
Vt reparent populos, ſua poſt veſtigia juſſos
Projiciunt lapides: lapides, ceu ſemina fruguum,
Molleſcunt, inq́ oſſa virûm mutantur, & ora.
Quanquã homines aliqui nondũ digeſta vidẽtur
Effigies, & adhuc retinent de marmore multum,
Duritiaq́ docent, quâ ſint ab origine nati.
Iam nova creſcebat ſoboles, & cura trahebat
In diverſa animos: nam prout cecidère per undas,
Aut per agros lapides, aut, per ſpelæa ferarum
Aut propter mentes ferriq́, auriq́ feraces;
Sic genium traxère loci: venatibus ille
Indulget, terram colit hic, illi æquora ſulcant.
Hi ferri venas, aurumq́ per omnia quærunt,
Et ſceleris quærunt, mortiſq́ per omnia cauſas.
Tunc verò hæc oculis invitamenta malorum
Abduxit Natura parens, & in intima terræ
Viſcera contraxit, Maneſq́ removit ad imos.
Sed tamen hùc quoq; deſcendit furioſa cupido,
Abdita rimatur, terramq́ eviſcerat omnem:

Scilicet

Scilicet indignata homini Natura, quis ultrà
Finis erit, dixit? tellus exhausta metallis
Antè gemet, quàm dira fames saturata quiescat.
Dum loquitur, mentem Magnesia vertit in arva,
Et puduit vertisse; videt molimine longo
Instantes operi, defossiq; ultima mundi
Scrutantes arcana, & opes (sua damna) petentes:
O PRONA in terram, clamat, perituraq; turba,
Quodq; sibi fodit prope Tartara, digna sepulchro,
Dixit, et irato tremefecit numine terram,
Oppressitq; viros, & glebæ immiscuit artus
Quã malè tractabant per aperta pericula glebam.
Quin flamma è Stygijs, ut erat vicina, cavernis
Illam membrorum, terræq; sine ordine massam
Fumida corripuit, coctamq; in saxa coegit:
Vnde color, species et adhuc semiusta remansit.
Nec tantum color; at vivos quæ torserat olim
Magnetes, etiam lapides sensuq; carentes
Tangit avaritia: utq; aurum, ferrúmve legentes
Oppressit fatum; sic ipsa cadavera prædam
Quæq; suã agnoscunt, geminaq; cupidine fervẽt,
Et trahit hic ferrum Magnes, ille attrahit aurũ.
Tunc ego ad hæc patris ridens miracula, sanè
Quàm metuo, dixi, quãdo aurum poscimus omnes,
Ne genus humanum saxa in Magnesia migret.
Sic me fabellis pater oblectare solebat.

Hæc & similia figmenta, ut falsi plerunque rumores, ab aliquo quod verum aut verisimile est, originem suam habent à quo nascuntur, & fundamentum quo nituntur.

Fieri enim posse me docuit experientia, ut ope *Magnetis* & instrumenti ad id aptati, amicus cum amico in cubiculo proximo trans crassum murum (puta bipedalem) colloquatur, animi sui sententiam impertiat, & ad quæsita respondeat. Quod hactenùs vel inauditum vel incredibile visum est. Vt autem quis cum amico absente, in locis tam disjunctis, & extra *Magneticæ* activitatis sphæram posito, sermones per acum sympatheticam

cam quasi per epistolam mis-
ceat, fabula est & impostura.

Quod autem Magneti, id rebus, & viris omnibus virtute magnis, & claris, fatale, & solenne est, ut multis & abusibus, & mendacijs pateant & sordidentur.

Ecquid enim uspiam, aut unquam extitit, quod ad præclaros usus natura destinavit, quod non idem ad abusus nefandos pervertit, aut *Dæmonum* fraus, aut hominum impostura? Ecquis vir unquam operibus, aut miraculis illustris fuit, de quo veri, & miri aliquid prodiderint historiæ, cui non absurda, & falsa plurima affinxerint

rint fabulæ? Sanctorum vitæ, & aurea (quam vocant) Legenda, quid aliud sunt, quàm mendaciorum farragines, ab hominibus æneæ frontis, & plumbei cerebri conflictę, et conscriptæ? De *Gregorio Thaumaturgo*, alijsque ejus generis viris ob miraculorum virtutem venerandis, multa vera scripsisse * contẽporaneos, & classicos authores, facilè adducor, ut credam: omnibus autem ut fidem adhibeam, quę subsequentium ætatum Monachi attexuerint, nunquam in animum inducam meum. Quare prudentis erit, neq; veris ob falsorum mixturam fidem denegare, neque temerè falsis verorum in gratiam credere;

Gregor. Nyss.

dere; sed, cribri in morem, gravia, & solida retinere, vana, & levia reijcere.

Cap. XLI.

Non minor retinendi, quam attrahendi in Christo & Magnete vis & facultas.

MAgnes non modò lenocinijs invincibilibus ferrum ad se suaviter allicit, sed & allectum insolubilibus catenis fortiter eò usque retinet, donec vi manuum ab eo divellitur. In aurifabrorum officinis anchoras ferreas totos menses, & annos ad *Magnetem* appensas videre est. Quinetiam hoc supposito, quòd tam robustus dari posset

posset *Magnes*, ut nihil à viribus externis pati posit; sequeretur inde in æternum *Magneti* adhæsuras. Ad eundem planè modum in voluntatibus nostris operatur is, qui lapis noster est angularis et auxiliaris; cujus gratiâ (ut sæpe *Augustinus*) nescio, quo modo facit, ne respuatur; quíque eum infundit in animos electorum, sui & amorem, & timorem, eam deniq; ἐυλάβειαν, ut nolint unquam ab eo recedere; sempérque caveant, ne quando sit in ijs cor incredulum, ut à Deo vivo deficiant. Remanet, non diffitemur, in electis, et regenitis, non potentia modò, sed & pronitas, & proclivitas totalitèr, & finalitèr à Deo apostatandi:

Eben Ezer 1 Sam. 7. 12.

Hebr. 3. 12.

tatandi: sed fidelis est is, qui nos vocavit, qui totum spiritum, & corpus conservat, ad glorioſum ſuum adventum, à quo comprehendimur, potius quàm comprehendimus. Super petram hanc ſundatos Magneticam, nulli aut imbres, aut venti conquaſſabunt, nemo eos è manu ejus rapiet; nihil ſive præſens, ſive futurum, eos à charitate ejus ſeparabit. Cæterùm ei, qui potis eſt conſervare ſuos à lapſu immunes, & ſtatuere nos in conſpectu ejus inculpatos cum exſulatione: Soli ſapienti Deo gloria, robur, & potèſtas in æternum. 1 Thes. 5.

AMEN.

Cap. XLII.

Precatiuncula ad Rythmi Bernardini Genium & Formam.

Magne Magnes, me dignare
Ad te totum inclinare;
Fac cor meum anhelare,
Vt se posſit applicare
Devoto tibi pectore.

Canem vilem allatrantem,
Ovem perditam balantem,
Cervum fessum anhelantem,
Servum tardum & cunctantem
Potenter ad te pertrahe.

Sic me trahas, ut te sequar;
Sic convertas, ut convertar,
Cordi meo Te conjungas,
Ungas illud, & compungas
Spiritu tui flamine.

Per medullam cordis mei
Peccatoris, atq; rei
Sic vis Tua tranſittatur,
Ut cor totum conſtringatur
Amoris tui vinculis.

Da cor cordi ſimilari,
Da cor cordi ſociari,
Da cor durum perforari,
Da cor ferreum ſauciari
Amoris tui vulnere.

Meum poſſe, velle, ſcire
Totum tibi fac ſervire,
Vehementer eſurire,
Et ardenter Te ſitire
Fac cor meum aridum.

Roſa Sharon aperire,
Cujus odor fragrat mirè,
Nares meas fac ſentire,

Illas illum fac haurire
Præ cunctis suavitatibus.

Mannah dulce, Mel sincerum,
Vinum suave, Nectar merum,
In quo nihil est amarum,
Esto mihi tu per-charum
Præ omnibus delicijs.

Ecce, tibi appropinquo,
Parce mihi, si delinquo.
Ecce, curro ad Te sponte,
Verecundâ tamen fronte
Ne, me, quæso, rejice.

Præbe mihi Te benignum,
Ne repellas me indignum.
Totum ad Te cor impelle.
Totum imple meum velle,
Ut Te nunquam deseram.

FINIS.

HH213/32

Perfect
(L_3 a catchword cut [illegible])
H. B. Quaritch, Ltd.
F.W., 15/2/27

STC
25028

528 Hodgson, Feb. 9-11, 1927

THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY